This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

134.

GERMANORUM PHILOLOGOS ET PAEDAGOGOS

PER DIES I.—IIII. M. OCTOBRIS

IN HAC URBE

CONVENTUM AGENTES

SALVERE IUBENT

GYMNASII DUCALIS DESSOVIENSIS RECTOR ET COLLEGAE.

INSUNT:

I. CAROLI HACHTMANNI SYMBOLAE CRITICAE AD T. LIVI DECADEM TERTIAM.

II. FERDINANDI SEELMANNI DE NONNULLIS EPITHETIS HOMERICIS COMMENTATIO.

GOTHAE MDCCCLXXXIV.
FRIDERICI ANDREAE PERTHES.

Digitized by Google

Digitized by Google

GERMANORUM PHILOLOGOS ET PAEDAGOGOS

PER DIES I.—IIII. M. OCTOBRIS

IN HAC URBE

CONVENTUM AGENTES

SALVERE IUBENT

GYMNASII DUCALIS DESSOVIENSIS RECTOR ET COLLEGAE.

INSUNT:

I. CAROLI HACHTMANNI SYMBOLAE CRITICAE AD T. LIVI DECADEM TERTIAM.

II. FERDINANDI SEELMANNI DE NONNULLIS EPITHETIS HOMERICIS COMMENTATIO.

DESSOVIAE,
FORMIS LUDOVICI REITERI.
A. MDCCCLXXXIIII.

GOTHAE MDCCCLXXXIV.
FRIDERICI ANDREAE PERTHES.

Digitized by Google

BODLEIAN LIBRARY
9 APR 85
OXFORD.

Digitized by Google

SYMBOLAE CRITICAE

AD

T. LIVI DECADEM TERTIAM.

SCRIPSIT

CAROLUS HACHTMANN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Legens nuper una cum discipulis primae huius gymnasii classi adscriptis, ut eos arte scriptores latinos ex tempore interpretandi exercerem, capita ex tertia Titi Livi decade selecta in complures incidi locos, quos sic, ut nunc in editionibus inveniuntur, ab auctore ipso scriptos esse non puto. Ac cum hi ipsi libri, quibus haud scio an nulli in scholis saepius legantur, a corruptelarum sordibus, ut ita dicam, quam maxime purgandi esse mihi videantur, in illos locos mea quidem sententia nondum sanatos accuratius inquirere consilium cepi. Quod ut facerem, eo magis commotus sum, quod nunc ipsum hasce symbolas criticas iudicio philologorum, qui hanc in urbem convenerunt, permittendi praeclara mihi offertur occasio. Spero autem fore, ut omnes, quicunque in hasce schedulas animos intendent, ea, quae in medium proferam, benevole examinent.

Ac primum quidem disputabo de lib. **XXII, c. 45, § 4.** — Priusquam pugna Cannensis committeretur, Numidas, ut in Romanorum aquatores, qui ex minoribus castris ad Aufidum flumen accesserant, impetum facerent, ab Hannibale missos esse Livius initio capitis enarrat. Deinde sic pergit: *„quam inconditam turbam cum vixdum in ripam egressi (sc. Numidae) clamore ac tumultu fugassent, in*[1]) *stationem quoque pro vallo locatam atque ipsas prope portas evecti sunt. Id vero adeo*[2]) *indignum visum, ab tumultario auxilio iam etiam castra Romana terreri, ut ea modo una causa, ne extemplo transirent flumen dirigerentque aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit.“* — Ac suo iure docti, quorum quidem editiones inspexerim, monent numerum singularem vocabuli *„auxilii“* perraro eam habere significationem, quae hic desideretur; neque ullus locus ex Titi Livi libris praesto est, quo ille usus confirmetur ac comprobetur.[3]) Neque enim Weissenbornio assentiri

[1]) ab editoribus additum est.

[2]) *„adeo“* complures editores, quod coniunctio *„ut“* subsequitur, adiunxerunt.

[3]) Aliter enim res sese habet iis locis, quibus illa vox posita est sine attributo;

Digitized by Google

possum, qui in iis verbis, quae scripta videmus lib. IV, 32, 11: *„magistro equitum praecipit, ne iniussu pugnam incipiat: se, cum opus sit equestri auxilio, signum daturum“* auxilium equestre interpretatur: *„das Hülfscorps der Reiter“* atque, ut hanc suam explicationem confirmet, eum ipsum locum, de quo agimus, laudat; sed, cum nihil nos cogat vocabulo illi hanc subicere sententiam et multo simplicius videatur esse, illa verba sic vertere: *„wenn Reiterhülfe“ oder „wenn die Hülfe der Reiterei nötig sei“*, discedo in sententiam Drakenborchii, qui l. l. haec adnotat: *„equestre auxilium est auxilium, quod equites ferebant.“* [1]) — Quae cum ita sint, mihi persuadere non queo, Livium illo loco pro auxiliis scripsisse auxilio, praesertim cum illud vocabulum ibi apte positum esse omnino non videatur. Nam Romani mea quidem sententia indigne ferebant, non quod ii hostes, qui in ipsas castrorum portas evehebantur, auxilia erant Poenorum, sed quod pauci iique tumultarii i. e. incompositi equites id facere audebant. Itaque conicio pro auxilio scribendum esse vexillo, quo vocabulo apud Romanos saepenumero eos significari, qui ex exercitu eliguntur, ut rem ab imperatore sibi mandatam exsequantur *(= Detachements)* [2]), nemo nescit. Livium autem notiones apud Romanos usitatas ad res exterarum gentium transferre solere tam notum est, ut hunc usum exemplis illustrare supersedeam. Neque vero silentio praeterire possum eo loco, cuius supra mentionem feci (lib. IV, 32, 11), T. Fabrum vocabula *„auxilium“* et *„vexillum“* a librariis inter se mutata esse suspicatum pro: *„se, cum opus sit equestri auxilio, signum daturum“* scribendum esse censuisse: *„se, cum opus sit, equestri vexillo signum daturum.“* Longum esse puto hoc loco explicare, quam ob rem Drakenborchius illam coniecturam refellendam esse existimaverit, ac satis habeo profiteri me, etsi interpunctionem, qua hic vir doctissimus usus est *(„se, cum opus sit, equestri auxilio signum daturum“)*, non comprobem, causis tamen gravissimis ab eo allatis quin ex animo plaudam, facere non posse. Sed cum Livius hic de omnibus legionum Romanarum equitibus dicat, illic de parva parte exercitus Poenorum, quam optime vexillum vocari potuisse persuasum habeo, non video, cur hoc vocabulum eo loco, de quo agimus, in textum non recipiamus.

---

cf. lib. XXXI, 5, 6: De auxilio mittendo tum respondere placere etc. — lib. XXXVIII, 12, 3: adhortatus eos ad novum cum Gallis suscipiendum bellum, qui et auxilio iuvissent Antiochum etc.

[1]) cf. XXVII, 42, 2: iam primos occupaverat equestris terror.

[2]) Qua de re fusius disseruit Kranerus, C. Julii Caesaris commentarii de bello Gallico, praefat. § 27, 6. — cf. Nipperdei adnotationem ad Tac. ann. I, 17; Böttticheri lexic. Tac. s. v. vexillarii, vexillum.

Digitized by Google

Transeo ad alterum locum, quem corruptissimum esse omnes editores inter se consentiunt, lib. **XXIII, c. 17, § 7.**

Notum est Romanos, gravissima clade ad Cannas accepta, rebus suis non desperasse, sed statim denuo conscripsisse exercitus, quibus patriam ab Hannibale defenderent. Quibus autem rationibus periculum, in quo tum respublica versabatur, propulsare conati sint, Livius lib. XXII, 57, 9 hisce describit verbis: *„inde dictator ex auctoritate patrum dictus M. Iunius et Ti. Sempronius magister equitum, dilectu edicto, iuniores ab annis septendecim et quosdam praetextatos scribunt. Quattuor ex his legiones et mille equites effecti. Item ad socios Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt.“* Idem paulo ante (ibid. § 7) enarrat M. Claudium Marcellum, classe tradita P. Furio Philo conlegae, Canusium magnis itineribus contendisse. Dum haec geruntur, Hannibal, cui paulo post victoriam Cannensem Capua a popularibus dedita erat, quacunque ratione hanc urbem opulentissimam a Romanis recuperari prohibere studuit. Simul, ut totam Campaniam sub suam potestatem redigeret, complures eius regionis urbes, ut Nuceriam et Acerras, expugnavit. Quo facto, Casilinum quoque suae dicionis facere instituit, quod consilium a militibus Romanis praesidii causa ibi collocatis ad irritum redactum esse Livius lib. XXIII, c. 17 describit. — Nec mirum est, quod viri doctissimi in iis, quae ineunte § 7 scripta invenimus, offenderunt. Verba autem, de quibus agere mihi est in animo, sunt haec: *„Hannibal Acerris direptis atque incensis, cum a Casino dictatorem Romanum legionesque nimis accipi nuntiassent, ne quis, tam propinquis hostium castris, Capuae quoque oreretur tumultus,*[1]) *exercitum ad Casilinum ducit.“* — Verba, quae invenimus in codice Puteaneo: *„dictatorem Romanum legionesque nimis accipi nuntiassent“* sensu omnino carere nemo est, quin intellegat. Maxima autem est coniecturarum copia, quibus viri doctissimi locum illum depravatum sanare sunt conati. Lipsius opinatus est Livium scripsisse: *„eminus aspici,“* quam coniecturam M. Hertzius in editionem suam recepit, Madvigius l. l. suo iure refellit; Putschius lectionem: *„laetis animis accipi“* proposuit, sed nemini virorum doctorum, quorum quidem editiones evolverim, probavit; Alschefskius[2]) locum sic restituendum esse putavit: *„cum a Casino dictatorem Romanum legionesque Casilinum acciri nun-*

---

[1]) *„oreretur tumultus“* H. J. Muellerus ex coniectura, quam protulit Fabri, in textum recepit. Codex Puteaneus hoc loco praebet: orere currunt. — Madvigius (Emendationes Livianae, edit. II, Hauniae 1877, p. 319) coniecturam Gronovii secutus scribendum esse censet: *„ne quid, tam proqinquis hostium castris, Capuae quoque moveretur.“*

[2]) Titi Livi ab urbe condita decas tertia, Berolini 1846, vol. III, p. 706 et 707.

Digitized by Google

tassent; H. J. Muellerus, qui de medela huius loci desperasse videtur, in appendice critico editioni addito pro „*a Casino*“ scribere mavult „*ad Casilinum*“; Weissenbornius in editione commentario instructa ad hunc locum haec adnotat: „Im Folgenden haben die Handschriften legionesque nimis accipi, worin wahrscheinlich der Name einer Gegend oder Stadt liegt, in die der Diktator aufgenommen oder gerufen wurde, etwa „*a Sidicinis*“, schwerlich „Casilinum,“ weil sonst eo, nicht ad Casilinum folgen würde; auch erscheint der Diktator nach dem Folgenden nicht in Casilinum.“ Madvigius, qui in emendationibus Livianis hunc locum fusius tractavit, in vocabulo „*nimis*“ subiectum verbi „*nuntiassent*“, quod desiderari optime perspexit, abditum latere ratus ex „*nimis accipi*“ facile „*Numidae citi*“ erui posse docuit et scribendum esse putavit: „*cum a Casino dictatorem Romanum legionesque venire Numidae citi nuntiassent.*“ Postremo commemoro lectionem, quae invenitur in editione a Woelfflino et Luterbachero nuper parata:[1] „*Hannibal, Acerris direptis atque incensis, cum a Casilino*[2] *dictatorem Romanum legionesque novas*[3] *accipi nuntiassent, ne quis*“ etc. —

Cum iam tot viri doctissimi difficultates, quas maximas in his verbis inesse nemo negabit, alii alio modo removere studuerint, quamquam haud scio an novam coniecturam proferre supervacaneum esse multis videatur, tamen, qua ratione locus ille valde corruptus sanari possit, demonstrare non dubito. Ac primum quidem assentior Madvigio lectiones „*acciri*“ et „*eminus aspici*“ reiciendas esse l. l. hisce verbis explicanti: „*neque de arcessitis legionibus quidquam dictum esse potuit, cum nulli significentur, qui arcessierint, neque de eminus adspectis, cum Hannibal inter Capuam et Vulturnum fuerit in meridiana Vulturni parte, Casinum autem in Volscis, octo milliaria Germanica ad septentrionem a Capua distans, in Romanorum potestate fuerit (nam Lirim Hannibal hoc omni tempore post Cannensem pugnam non transgressus est, ne ad eum quidem accessit), neque, nominato Casino ad significandam exercitus Romani sedem, exspectatur alius oppidi, quo processerint, nomen (de receptis aliquo oppido Romanis cogitari omnino nequit).*“ Idem iure meritoque negavit[4] credibile esse Livium, omisso subiecto, pro „*nuntiatum esset*“ scripsisse „*nuntiassent*“. Neque tamen mihi persuadere possum, quamquam libenter concedo infinitivum verbi veniendi a librario quodam neglegenti facillime intermitti potuisse, ex „*nimisaccipi*“

---

[1]) Titi Livi ab urbe condita lib. XXIII. Leipzig, B. G. Teubner, 1883.

[2]) secundum codices recentiores.

[3]) ex coniectura Vallae.

[4]) „*Neque enim nuntiaverunt pro nuntiatum est, ut vulgo homines intelligantur, Livius dicere solet aut hic dicturus erat.*“

Digitized by Google

satis certa coniectura, ut Madvigii verbis utar, erui *„Numidae citi“*, praesertim cum haud intellegam, cur Livius ad nomen gentile adiectivum illud, quod admodum languere nemo non videt, hoc loco addiderit.[1]) Equidem, ut iam ipse meam opinionem in medium proferam, conicio in illa voce inani *„nimis“* abditas latere reliquias verborum *„latini nominis“*, et ante coniunctionem *„que“* vocabulum quoddam intercidisse, id quod culpa librariorum saepissime factum esse inter omnes constat.[2]) Itaque loco illo supplens *„socios“* priorem sententiae partem sic emendandam esse existimo: *„cum a Casino dictatorem Romanum legiones sociosque latini nominis.“*[3]) Nemo autem non videt, illa coniectura probata, infinitivum praesentis passivi locum habere iam non posse. Quae cum ita sint, pro *„acciri“* — verbum accipiendi hic ferri nullo modo posse arbitror — pono infinitivum praesentis activi verbi arripiendi (= in Eile aufbrechen lassen) et pro *„nuntiassent“*, quam formam Madvigium suo iure vituperasse supra attulimus, in textum recipio *„nuntiatum esset“*, id quod iam scribere voluit Valla.[4]) Facile enim fieri potuit, ut in duobus verbis, quae hic nobis occurrunt, a librario quodam genus verbi mutaretur. Totum igitur locum sic restituendum esse persuasum habeo: cum a Casino dictatorem Romanum legiones sociosque latini nominis arripere nuntiatum esset. Reliquum est, ut paucis verbis coniecturam meam confirmem. Dictatorem Romanum, cum maxime operam daret, ut periculum patriae imminens propulsaret, praeter Romanas legiones Latinos quoque socios secum duxisse ex iis, quae Livius lib. XXII, 57, 9 enarrat,[5]) facile intellegitur. Verbum autem arripiendi saepenumero significare: „aliquem

---

[1]) Recte A. Koch (Emendationum Livianarum pars II, Progr. d. Ritteracademie zu Brandenburg 1861, p. 10) dixit: *„Vix cuiquam Numidas citos probatum iri arbitror.“* [Ceterum Madv. hanc lectionem ne recepit quidem in editionem novissimam (Hauniae 1880)]. Neque vero magis mihi placet emendatio, quam vir ille doctissimus ipse proposuit: *„dictatorem Romanum legionesque venire missi equites nuntiassent,“* quod illud participium plane supervacaneum esse iudico.

[2]) cf. XXVIII, 26, 6: *ut eos ..... in hospitium invitatos sopitosque vino vincirent* (cod. Puteaneus: *ut eos invitatosque vino vincirent).* — XXVIII, 15, 1: *turba Baliarium tironumque Hispanorum Romano Latinoque militi obiecta erat* (cod. Put.: *Romanoque militi* etc.).

[3]) v. Liv. lib. XXVIII, 32, 6: in exercitu suo se, praeterquam quod omnis civis aut socios Latinique nominis videat, etiam eo moveri, quod etc.

[4]) Nonne verisimile videtur esse etiam lib. XXIII, 12, 1 formam activam a librariis cum passiva commutatam et pro: *„tantus acervus fuit, ut metientibus supra tris modios explesse sint quidam auctores“* scribendum esse: *„ut metientibus (= a metientibus) supra tris modios expletos esse sint quidam auctores“*?

[5]) *„Idem ad socios Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt.“*

Digitized by Google

impellere, ut celeriter a loco quodam proficiscatur", et inprimis de iis ducibus dici solere, qui copias suas maxima celeritate contrahunt, nemo nescit. Itaque satis habeo ex Livii ipsius libris unum attulisse exemplum (XXXIV, 20, 8): „(consul) *equo citato subter murum hostium ad cohortes advehitur, atque eas arreptas, effusis omnibus ad sequendos Suessetanos, qua silentium ac solitudo erat, in urbem ducit.*" [1]) Denique Casinum, oppidum Latii prope Campaniae fines situm, maxime idoneum fuisse, quo dictator Romanus copias suas ac socios cogeret, priusquam bellum cum Poeno urbes Campaniae dicionis suae faciente gerere inciperet, omnes videbunt, quicunque tabulam geographicam Italiae antiquae inspexerint. Nec mirum est, quod Hannibal omnibus viribus Casilinum expugnare voluit, ut Romanos Volturnum flumen traicere prohiberet et Capuam, quae urbs haud procul ab illo oppido sita erat, ab eorum impetu defenderet.

Sed haec hactenus; nunc de lib. **XXIV, c. 39, § 3** disserere placet.

Cum Syracusani anno 214 a. Chr. n. ad Carthaginienses defecissent, multae quoque aliae Siciliae urbes, quae ad id temporis a Romanis steterant, Poenorum partes sequi consilium inierunt. Quae cum ita essent, praesidia Romana ibi collocata maximo versabantur in periculo, eoque magis timendum erat, ne ab oppidanis opprimerentur et interficerentur, quod tum ipsum Himilco, dux Carthaginiensium, magno exercitu, quo totam insulam perdomaret, traiecto, Agrigentum, urbem opulentissimam, occupaverat. Quo in rerum discrimine L. Pinarius, praesidii, quod Hennam obtinebat, praefectus, veritus, ne sibi ab oppidanis insidiae struerentur, dolo uti constituit, quo urbem in Romanorum potestate retineret. [2]) Itaque, cum illi ab eo, ut portarum claves sibi redderet, postulassent, simulans se perscrutari velle, utrum pauci evocatores an omnes cives, ut id fieret, suasissent, re vera autem id agens, ut milites locis idoneis dispositi opportuno tempore omnes cives opprimerent oppressosque trucidarent, contionem in theatrum convocari iussit. Quonam autem modo id, quod volebat, perfecerit, Livius sic enarrat (§ 2): „*Productus ad populum a magistratibus praefectus Romanus cum consulis de ea re ius ac potestatem esse, non suam, et pleraque eadem, quae pridie, dixisset, et primo sensim ac plures reddere claves, dein iam una voce id omnes iuberent cunctantique et differenti ferociter mini-*

---

[1]) Lib. XXVIII, 16, 8 haec scripta legimus: „*Postremo dux ipse, navibus acceptis — nec procul inde aberat mare —, nocte relicto exercitu Gades perfugit.*" Weissenbornius in editione commentario instructa pro „*acceptis*" posuit „*accitis*" (cod. Putean.: „*accipitis*", quod correctum est in „*acceptis*"), quam coniecturam probavit M. Hertzius. Haud scio an hoc quoque loco lectio „*arreptis*" sit praeferenda.

[2]) cf. W. Ihne, Röm. Gesch. II, p. 248.

Digitized by Google

tarentur nec viderentur ultra vim ultimam dilaturi, tum praefectus toga signum, ut convenerat, dedit, militesque intenti dudum ac parati alii superne in aversam contionem clamore sublato decurrunt, alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Caeduntur Hennenses" etc. —

Quamquam editores haud iniuria in verbis: „*et primo sensim ac plures*" offenderunt, tamen locum ipsum haud mutaverunt. M. Muellerus solus, quod sciam, pro vocabulo „*plures*" vel, ut scriptum legimus in codice Puteaneo, „*plus*" [1]) posuit „*pars*"; ceteri, ut Hertzius, Weissenbornius, H. J. Muellerus, lectionem „*et primo sensim ac plures*" retinuerunt. Recte autem Muellerus in editione Weissenborniana, quam ipse curavit (Berolini, apud Weidmannos 1880), ad locum, de quo agitur, haec adnotat: „*sensim ac plures*" = ganz merklich und zu mehreren. Der Ausdruck ist ungewöhnlich, da sensim sonst „*kaum merklich*" heisst." [2]) — Quam sententiam ut confirmet, ex ipsius Livi libris hoc ponit exemplum (II, 2, 4): „*hic primo sensim temptantium animos sermo per totam civitatem est datus.*" [3]) Weissenbornius autem ipse non negans difficultates in illis verbis inesse et dicendi modum esse insolitum, locum sic interpretatur, ut admodum paucos ei assensuros esse putem; dicit enim (in editione anno 1871 curata): „*sensim:* nicht auffallend, s. II, 2, 4; ib. 45, 11, da nur einige hier und da riefen. Ac plures und nach und nach mehrere." Neque enim concedo „*sensim*" idem esse ac „*nonnullis locis*", neque intellego, quonam iure dixerit: „nur einige hier und da", et paulo post: „und nach und nach mehrere." — Copiosius hoc de loco disseruit M. Muellerus, [4]) qui pro „*plures*" in textum „*pars*" recipiendum esse ratus haec dicit: „Puteaneus hat plus statt der Vulgata plures. Dass die Lesart plures unhaltbar ist, haben Weissenborn und H. J. Müller richtig bemerkt und letzterer im Anhang begründet. Paläographisch wahrscheinlicher als H. J. Müllers Vorschlag sensim ac pauci (der sich schon in Weissenborns 2. Auflage von 1861 findet) oder sensim ac (pauci, postea) plures ist wohl sensim ac pars. Es entsprechen sich dann sensim „nur eben merklich" und una voce „einstimmig, ganz laut"; pars „nur ein Teil" und omnes. Die Situation ist ähnlich wie XXXIV, 37, 3: cum nunc ab universis, nunc a partibus acclamaretur .. prope una voce omnes .. bellum geri iusserunt." — Cui ratiocinationi assentiri equidem animum inducere non queo;

[1]) Cod. Put.: „*sensumacplus reddere*"; supra litteram u scriptum est i.

[2]) cf. F. Schultz, Lat. Synonymik, Paderborn, Schöningh, 1879, S. 348: „sensim wird gesagt in Rücksicht auf den Eindruck, welchen die Handlung auf den Beobachter macht; unmerklich."

[3]) cf. II, 45, 11: „*non iam sensim, ut ante, per centurionum principes postulant, sed passim omnes clamoribus agunt.*"

[4]) Jahrb. f. klass. Philologie, 1881, fascic. 10, p. 679.

Digitized by Google

nego enim illud „*sensim*“ verti posse: „nur eben merklich,“ neque perspicio, quonam iure Livius adverbium illud verbis „*una voce*“ opposuerit; neque exemplum, quod vir ille doctissimus ex libro XXXIV nominavit, ad difficultates illius loci removendas quidquam valere puto. Multo autem verisimilius mihi videtur esse „*sensim*“ artissime coniungendum esse cum vocabulo „*plures*“, deinde coniunctionem „*ac*“ ante illud adverbium ponendum, denique inter „*primo*“ et „*ac*“ intercalandum nomen numerale „*singuli*“, cuius loco librarium quendam parum diligentem vocabulum „*sensim*“, quod item a littera s incipit, facile scribere potuisse nemo non videt.[1]) Itaque locum, de quo disputamus, sic mutandum esse censeo: „et primo singuli ac sensim plures reddere claves, dein iam una voce id omnes iuberent“ = und als im Anfange nur vereinzelte und unmerklich eine grössere Anzahl, darauf bereits alle einstimmig ihn aufforderten, die Schlüssel zurückzugeben. — Eodem iure Livium scribere potuisse: „*et primo pauci, dein sensim plures reddere claves, postremo iam una voce etc.*“ facile concedo, sed non est, cur offendamus, quod illo loco utrumque nomen numerale (singuli et plures) vocabulo „*omnes*“ est oppositum. Nam Pinarium tum, cum contionem convocavit, perspicere voluisse, „*utrum paucorum ea denuntiatio an universae civitatis esset*,“ Livius ipse extremo cap. 37 dicit; nihil igitur ille curavit, quid maior civium pars sentiret.

Sed de hac quidem re satis dictum est; consideremus nunc locum ex lib. **XXV** petitum, quo Livium errore captum esse num docti recte iudicaverint, valde dubitaverim.

Constat inter omnes senatum Romanum post funestissimam illam cladem Cannensem non modo captivos ab hostibus redimere noluisse, sed etiam eos milites, qui fuga salutem petierant, in Siciliam insulam relegasse, ubi, dum bellum in Italia ipsa gereretur, sine mercede militarent. Quod cum illi indignissime ferrent, anno 212 a. Chr. n. ad Marcellum, qui tum in Sicilia summam imperii obtinebat, legatos mittere constituerunt, ut eius opera copiis contra Hannibalem ipsum pugnantibus iterum insererentur. Cuius legationis principem Livius longam orationem habentem facit, quae ab hisce incipit verbis (XXV, 6, 2): „*Consulem te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, cum primum de nobis etsi non iniquum, certe triste senatus consultum factum est, nisi hoc sperassemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adversus Siculos simul Poenosque mitti*“. — Priusquam ad rem ipsam tractandam transeam, afferre

---

[1]) De huius vocabuli significatione cf. Cic. de or. III, 55, 211: „*refert, qui audiant, frequentes an pauci an singuli.*“ — Cic. leg. agr. II, 31, 85: „*honestius eum (agrum) vos universi, quam singuli possideretis.*“

Digitized by Google

mihi liceat Madvigium,[1]) cum suo iure in verbis „*in Italiam adissemus*“ haereret, scribendum esse censuisse: „*in Italia adissemus*,“ et H. J. Muellerum propius accedentem ad scripturam, quae in codice Puteaneo invenitur, coniecisse: „*in Italia iam adissemus.*“ Sed alterum vitium in ipso primo orationis verbo abditum latere arbitror; nam, quo iure Livius principem legationis cum vi quadam dicentem finxerit: „*consulem te, M. Marcelle, in Italia iam adissemus*,“ haud intellego. Constat enim inter omnes hunc tum, cum senatus milites, qui ex clade Cannensi fugerant, in Siciliam relegare constituit, non consulem fuisse, sed praetorem, ac Livius ipse lib. XXIII, 24, 1 enarrat: „*Postero die consultus a M. Pomponio praetore senatus decrevit dictatori scribendum, uti si e republica censeret esse, ad consules subrogandos veniret cum magistro equitum et praetore M. Marcello*“. Hunc autem scriptorem eo loco, de quo disputamus, in errore esse versatum eo minus crediderim, quod legatum illum paulo post haec dicentem facit (§ 5): „*Ambo mihi consules et universum senatum intueri videor, cum te, M. Marcelle, intueor, quem si ad Cannas consulem habuissemus, melior et reipublicae et nostra fortuna esset.*“ Quae cum ita sint, in sententiam Weissenbornii discedere non possum, qui Livium neglegentiae arguens haec adnotat: „Livius hat nicht beachtet, dass, als der Senat den Beschluss über die Cannenser fasste, Marcellus nicht Consul, sondern Praetor war, und dass dieselben, da sie gerade das Heer des Marcellus selbst bildeten,[2]) ihn aufzusuchen nicht nötig hatten. Wahrscheinlich hat er die Situation vorausgesetzt, in der Marcellus als Consul, ehe er Sicilien als Provinz erhielt (s. XXIV, 27, 6)[3]), in Italien verweilte, vielleicht den XXIV, 18, 8[4]) gefassten Beschluss mit dem über die Cannenser verwechselt.“ — Quid enim? In ipso orationis initio Livium nomini Marcelli falsum titulum addidisse credibilene videtur esse? Equidem multo verisimilius esse arbitratus vocabulum „*consulem*“ cum iis verbis, quae praecedunt, esse coniungendum et orationem ipsam incipere a verbis: „*Te, M. Marcelle, in Italia iam adissemus*,“ sic scribendum esse persuasum habeo: „*E quibus unus potestate dicendi facta ad consulem: te, M. Marcelle, in Italia iam adissemus*“. — Ac ne quis forte

---

[1]) Emendatt. Liv. p. 354, edit. II.

[2]) cf. Ihne, Röm. Gesch. II, p. 205: Marcellus ging nach Canusium und übernahm den Befehl über die Trümmer des Cannensischen Heeres.

[3]) XXIVIV, 27, 6: *Per eosdem dies cum ad Marcellum venientem in Siciliam legati Syracusani missi ab Appio essent, auditis condicionibus pacis, Marcellus, posse rem convenire ratus et ipse legatos Syracusas, qui coram cum praetoribus de renovando foedere agerent, misit.*

[4]) XXIV, 18, 8: *Et ea supra duo milia nominum in aerarios relata, tribuque omnes moti etc.*

Digitized by Google

miretur M. Marcellum proconsulis[1]) munere in Sicilia fungentem a Livio appellatum esse consulem, complures locos afferre mihi liceat, quibus eadem indiligentia, ut ita dicam, utitur. Ut lib. XXVI, 33, 4 sic scribit:[2]) *„Submotis deinde a templo (sc. legatis Campanorum), paulisper dubitatum, an arcessendus a Capua Q. Fulvius esset — mortuus enim post captam Claudius consul erat“*; constat autem hunc cum proconsulari imperio ad Capuam fuisse. Item paulo post (§ 7) pro proconsulibus dictum est consulibus: *„In consilio,“* inquit Livius, *„arbitror me fuisse consulibus“* etc. Ac similiter voces praetoris ac propraetoris inter se ab eo mutatas esse, multi testantur loci; exempli gratia affero lib. XXIII, 40, 1: *„Et in Sardinia res per T. Manlium praetorem (= propraetorem) administrari coeptae.“*[3]) — Denique Livium pro *„ad eum“* dixisse *„ad consulem“* non est, cur miremur; recte enim monet Kühnastius (Liv. Synt. p. 199) hunc scriptorem semel ac saepius pronominis loco nomen ipsum ponere.[4]) —

Altero de loco eiusdem libri disserere nunc mihi liceat, quo haud scio an lectio codicis Puteanei retineri possit (XXV, c. 37, § 17—19).

Cum anno a. Chr. n. 212 Publius et Gnaeus Scipiones, postquam, ut tres Carthaginiensium in Hispania exercitus quam celerrime delerent, copias inter se diviserunt, brevi occidissent, ille a Magone et Hasdrubale, Gisgonis filio, hic ab Hannibale, Hannibalis fratre, victus, L. Marcius, eques Romanus, ad quem milites summam detulerant imperii, ne reliquiae exercitus Romani in hostium potestatem venirent, quacunque ratione impedire studuit. Itaque certior factus Hasdrubalem, Gisgonis filium, magnis copiis contra se proficisci, militibus, qui rebus adversis fracti initio animis erant demissis, aegre persuasit, ut, armis captis, hostem castra oppugnantem propulsarent. Idem, cum per exploratores paulo post cognovisset Carthaginienses in castris custodiendis esse neglegentiores, eos ultro aggredi consilium cepit. Quibus autem causis, ut id faceret, commotus sit, Livius hisce verbis exponit (§ 17): *„Ob hoc cum omnia neglecta apud hostis essent, exploratis iis, Marcius ad consilium prima specie temerarium magis quam audax animum adiecit, ut*

---

[1]) Consules a. 212 a. Chr. n. fuerunt Q. Fulvius Flaccus et Appius Claudius Pulcher (v. XXV, 2, 4 et ibid. 3, 1).

[2]) Weissenbornius hoc loco haec adnotat: „Auch sonst findet sich bisweilen diese Bezeichnung (consul für proconsul), indem mehr die dem ursprünglichen Amte zukommende, als die durch die Prorogation des imperium eingetretene Benennung gebraucht wird, s. XXXI, 49, 4.“

[3]) v. ibid. 41, 8 et 43, 12; lib. XXII, 57, 1; lib. XXIV, 40, 1.

[4]) v. lib. VII, 33, 11: *„Haec dicta dederat, cum equites consulis iussu discurrunt in cornua legionibusque in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium consul invadit hostem.“* cf. I, 7, 9; I, 10, 5; II, 40, 9; IX, 33, 9.

Digitized by Google

ultro castra hostium oppugnaret, facilius esse ratus unius Hasdrubalis expugnari castra, quam, si se rursus tres exercitus ac tres duces iunxissent, sua defendi; simul aut, si[1] *successisset coeptis, recepturum*[2] *se adflictas res, aut, si pulsus esset, tamen ultro inferendo arma contemptum sui dempturum.*" — Tribus igitur causis ad impetum in hostes statim faciendum adductus est: primum impedire volebat, ne tres Poenorum exercitus inter se coniungerent; deinde suam suorumque conditionem respiciens intellegebat, se illo incepto dubiis rebus, in quibus tum esset, liberari posse; postremo sperabat, se hostibus ultro inferendo arma contemptum sui dempturum. Ac tota Livi enarratio esset perspicua, nisi illud „*recepturum*" sententiam disturbaret. Neque igitur mirum est, quod docti hunc locum perditum esse opinati emendaverunt. Atque Perizonius pro „*recepturum*" scribendum esse coniecit „*erecturum*", Drakenborchius autem illius vocabuli loco „*refecturum*" poni maluit. Plurimi autem editores illius emendationem comprobasse mihi videntur, ut Madvigius, M. Hertzius, H. J. Muellerus, M. Muellerus; Weissenbornius, cum in editione stereotypa lectionem codicis Puteanei retinuerit, in ea editione, quam commentario instruxit, illorum sententiam secutus, ut emendationem exemplo confirmaret, locum ex Ciceronis in Verrem orationibus (III, 91, 212) attulit, ubi C. Marcellus, qui Siciliae provinciae praefuerat, his verbis laudatur: „*alia sunt tua facta atque consilia summa laude digna, quibus illam tu provinciam adflictam et perditam erexisti atque recreasti.*"[3] Equidem, quamquam non nego verbum erigendi illo quoque loco apte esse positum, tamen lectionem, quam in codice tertiae decadis longe praeclarissimo scriptam invenimus, retineri posse arbitror, si addita erit negatio „*non*" vel potius „*haud*" quam post coniunctionem „*aut*" a librario facillime omitti potuisse apparet. Atque eo verisimilius mihi videtur illo loco vocabulum intercidisse, quod altera vox, pronomen „*se*", dupliciter est posita; nam in codice Puteaneo „*coeptis erepturum*" pro: „*coeptis se recepturum*" scriptum esse equidem suspicor. Omnia autem recto talo, ut ita dicam, stare mihi videntur, si scripserimus: simul aut, si successisset coeptis, non vel haud recepturum se adflictas res,[4] aut, si pulsus esset, tamen ultro inferendo arma contemptum sui dempturum. —

---

[1]) deest in cod. Put.

[2]) cod. Put.: erecepturum.

[3]) cf. Liv. XXVI, 41, 12: „*in hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romani, haec omnia strata humi erexit ac sustulit.*"

[4]) De significatione verbi recipiendi cf. III, 63, 4: „*ibi non sociorum, sicut in Algido, res, sed suas Romanus populationibus agrorum amissas recipit.*" — XXIII, 3, 11: „*is his condicionibus ad deditionem compellere Crotoniates conatus, ut coloniam Bruttiorum eo deduci antiquamque frequentiam recipere vastam ac desertam bellis urbem paterentur.*"

Digitized by Google

Proximi quoque libri duos locos tractare mihi in animo est; ac primum quidem disputabo de lib. **XXVI, c. 5, § 5.**

Anno ante Christum natum 211 Hannibalem aliquamdiu haesitasse Livius auctor est, utrum arcem Tarenti, quam, cum urbs ipsa per coniuratos ei tradita esset, capere non potuerat, per vim expugnaret, an Campanis, qui a Romanis, cum eorum Capuam recuperare plurimum interesset, vehementissime premebantur, auxilio veniret. Ac, re diu multumque deliberata, postremo, ut hanc urbem maximis angustiis, in quas obsidione adducta erat, liberaret, prope Capuam consedit. Quibus rebus enarratis Livius sic pergit (§ 4): *„adveniens cum castellum Galatiam, praesidio vi pulso, cepisset, in circumsedentis Capuam se vertit. Praemissis namque nuntiis Capuam, quo tempore castra Romana adgressurus esset, ut eodem et illi ad eruptionem parati portis omnibus sese effunderent, ingentem praebuit terrorem.“* — Quo in loco pro coniunctione *„namque“* alii editores, ut Madvigius, M. Muellerus, Luchsius,[1]) Zingerleius,[2]) recentiorum codicum lectione comprobata, scribendum, esse censuerunt: *„praemissisque nuntiis“*, alii, ut Hertzius et Weissenbornius, lectionem codicis Puteanei *(„praemissis nā / que nuntiis“)* tutati sunt. Hic autem, quo modo illud *„namque“* defendi posset, in editione commentario instructa pluribus exposuit verbis. Adnotat enim l. l. haec: „Hier findet eine Umstellung der Gedanken statt, da namque nicht sowohl den Grund zu dem Vorhergehenden, als zu ingentem terrorem praebuit enthält und es genauer heissen würde: terrorem praebuit, namque — effunderent, eodem tempore et Campani eruperunt et ipse adortus est.“ — Neque tamen puto multos explicationi viri doctissimi assensuros esse. Nam eum locum, quem ille, ut sententiam suam confirmaret, ex Livi ipsius libris attulit (XXVIII, 15, 5: *„nam super cetera“* etc.), Madvigius corruptum esse ratus optime emendavit, cum pro *„nam“* in textum recepit *„iam“*; ceterum Weissenbornius ipse in adnotatione, quam huic loco adiunxit, sententias non apte inter se coniunctas esse confitetur.[3]) Quanam autem de causa locum ex Ciceronis pro S. Roscio Amerino oratione (6, 15) laudaverit, intellegere non queo; ibi enim sententiam, quae particula „nam“ inducitur, cum iis, quae praecedunt, artissime cohaerere nemo non videt.[4]) Eoque minus persuadere mihi possum

[1]) T. Livi ab urbe condita libri a vicesimo sexto ad tricesimum, Berolini apud Weidmannos 1879.

[2]) T. Livi ab urbe condita libri. Pars IV. Pragae et Lipsiae ap. Tempsky et Freytag 1883. — Drakenborchius ea, quae codice Puteaneo sunt tradita, parum curans scribit: praemissis ante nuntiis Capuam.

[3]) „Doch ist die Verbindung der Gedanken nicht ganz klar.“

[4]) Cic. pro Rosc. Am. 6, 15: *„Sextus Roscius, pater huiusce, municeps Amerinus, fuit cum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius*

Digitized by Google

Livium illo loco coniunctionem „*namque*“ posuisse, qua connexus admodum disturbatur, quod etiam proxima sententia coniunctione „*nam*“, quae hic suo loco est, inducitur. Ac multo magis mihi placeret coniunctio conclusiva „*itaque*“, quam in oratione scriptoris quondam positam fuisse coniecit Friedersdorffius,[1]) nisi putarem locum, de quo agitur, sic posse mutari, ut emendatio ad lectionem, quam in codice Puteaneo scriptam videmus, propius accedat. Coniecto enim pro „*nam*“ scribendum esse „*clam*“ et coniunctionem „*que*“ cum participio „*praemissis*“ coniungendam. Itaque, ut locus sic emendetur, propono: praemissisque clam nuntiis etc. — Atque hoc ipso loco adverbium „*clam*“ aptissime additum esse, pluribus exponere opus vix esse mihi videtur. Nam cum Capua a Romanis undique obsideretur, neque facile fieri posset, ut nuntii ad oppidanos circumclusos mitterentur, Hannibal dolo quodam uti coactus est.[2]) Quonam autem modo ei contigerit, ut id, quod volebat, perficeret, Livius diserte non enarrat, sed illo adverbio significasse satis habet. Vocabulum autem „*clam*“ a scriptore optime oppositum esse voci „*vi*“, quae in proxima sententia occurrit (*„adveniens cum castellum Galatiam, praesidio vi pulso, cepisset“*), perspicuum est.

Alter huius libri locus, de quo agere institui (**XXVI, c. 41, § 18**), quamquam tam corruptus est, ut viri doctissimi de eius sanatione desperasse videantur, tamen, qua ratione difficultates infringi posse putem, explicabo.

P. Cornelium Scipionem, cum a populo Romano imperator creatus in Hispaniam venisset, Livius apud milites contionem, qua eorum animos ad bellum renovandum inflammet, habentem facit. Quibus cum enarrat, ex quot quantisque calamitatibus populus Romanus antea saepe emerserit, tum exponit, quanta virtute iis ipsis temporibus, quibus Romani in Italia multas deinceps clades acceperint, exercitus Hispaniensis P. et Cn. Scipionibus ducibus Poenos semel ac saepius vicerit. Idem milites docens periculum, in quod Hannibal rempublicam Romanam vocaverit, paene esse propulsatum, sic adloquitur (XXVI, 41, 17): „*Quid igitur minus conveniat, milites, quam, cum aliae super alias clades cumularentur, ac di prope ipsi cum Hannibale starent, vos hic cum parentibus meis —*

vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis .... erat ei non modo hospitium“ etc.

[1]) T. Livi ab urbe condita lib. XXVI, Leipzig, Teubner, 1880.

[2]) cf. lib. XXVI, c. 4 init.: Inter haec vis omnis belli versa in Capuam erat: obsidebatur tamen acrius, quam oppugnabatur; nec aut famem tolerare servitia ac plebs poterant aut mittere nuntios ad Hannibalem per custodias tam artas. — cf. Appiani Roman. histor. lib. VII, 38: *προσβαλὼν δὲ (sc. Ἀννίβας) τῷ περιτειχίσματι, καὶ μηδὲν δυνηθείς, μηδ' ἐπινοῶν, ὅπως ἂν ἐς τὴν πόλιν ἐσπέμψειεν ἢ σῖτον ἢ στρατιάν, οὐδενὸς οὐδ' ἀπ' ἐκείνων αὐτῷ συμβαλεῖν δυναμένου διὰ τὴν ἐπιτείχισιν πάντη περιλαμβάνουσαν, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἠπείγετο παντὶ τῷ στρατῷ.*

Digitized by Google

aequentur enim etiam honore nominis — sustinuisse labantem fortunam populi Romani, nunc eosdem, cum iam[1]) *illic omnia secunda laetaque sunt, animis deficere?*" Haec omnia plana esse nemo non intellegit; verba autem, quae hanc sententiam subsequuntur, maximis laborant difficultatibus. Locus enim, de quo acturi sumus, in codice Puteaneo sic traditus est: „*nuper quoque acciderunt utinam tam sine meo luctu quam armaverat*"; tum, paucarum litterarum spatio relicto, verba sequuntur: „*cum terra marique*" etc., a quibus incipit cap. XLIV. Totum hunc locum sensu omnino carere neminem fugit, neque difficultates, quae in eo insunt, removentur, etiamsi in orationem recipiamus formam pronominis relativi „*quae*", quam post „*quoque*" librarii neglegentia omissam esse omnes editores coniecerunt. Desideratur enim et verbum, quod pendet a coniunctione „*utinam*", et aliqua sententia, quae respondeat verbis: „*tam sine meo luctu*". Quae cum ita sint, alii editores lectionem codicis Puteanei, „*quae*" post „*quoque*" intercalato et asterisco addito, attulisse satis habent, alii, ut Drakenborchius, Weissenbornius (in editione stereotypa), Hertzius, scriptura codicum quorundam deteriorum comprobata, scribunt: „*nuper quoque quae acciderunt, utinam tam sine meo luctu quam vestro transissent!*" Hanc autem sententiam esse ineptissimam Weissenbornius ipse explicavit, qui, illa lectione in editionem commentario instructam ne recepta quidem, haec adnotat: „Der Redner scheint haben zeigen zu wollen, dass auch der Mut, den das Heer nach dem Unglücke der Scipionen bewiesen habe, erwarten lasse, dass sie seinen Plan billigen werden, um dann den andern Teil (§. 7)[2]): maius consilium — quam pro aetate mea auszuführen. Allein beides ist verloren gegangen, da die Stelle von „meo luctu quam — cap. 44, 1: armaverat cum" in allen besseren Handschriften fehlt. Das Bruchstück „nunc dii immortales" bis cap. 43, 8: „imminet Africae" scheint auf einem Blatte einer alten Handschrift erhalten zu sein (Heerwagen),[3]) ist uns aber nur durch spätere Abschriften in jüngeren Handschriften bekannt geworden. Die Worte: „nunc dii immortales" etc. schliessen sich nicht an das Vorhergehende an, sondern der Redner weist die Verhältnisse und

---

[1]) Sic pro „*quia*" scribendum esse recte censuit Madvigius (Emendatt. Liv. p. 388).

[2]) Lib. XXVI, 41, 6 et 7: „*Sed cum iam benignitate deum id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Poeni maneant, nec ut pro ripa Hiberi stantes arceamus transitu hostes, sed ut ultro transeamus transferamusque bellum, vereor, ne cui vestrum maius id audaciusque consilium quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum aut pro aetate mea videatur.*

[3]) cf. Heerwageni commentatio critica de T. Livi XXVI, 41, 18—44, 1, in progr. gymnasii Norimbergensis 1869, qui gravissimis argumentis demonstravit dubium esse non posse, quin totus ille locus in recentioribus tantum codicibus servatus sit genuinus.

Digitized by Google

Erscheinungen nach, welche einen glücklichen Erfolg des Unternehmens erwarten lassen. Der in manchen Handschriften sich findende Uebergang: „luctu quam vestro transissent," würde einen ganz unpassenden Gedanken geben und doch den Zusammenhang nicht herstellen." — Cui argumentationi viri doctissimi quis est, qui repugnet? Equidem existimo optime eum monuisse et transitum ad alteram orationis partem desiderari neque verborum ipsorum: *„nuper quoque"* etc. sententiam satis esse bonam. Cumque eo consentit Friedersdorffius, qui item docet, non perspici, quomodo verba *„nunc dii immortales"* etc. cum iis, quae antecedant, cohaereant.

Quoniam explicavimus, quantas difficultates ille locus haberet, nunc videamus, qua ratione sanari possit. Ac primum quidem dubium esse nemini potest, quin verba: *„nuper quae acciderunt"* referenda sint ad clades Romanis a. 212 a. Chr. n. a Poenis inlatas, quibus P. et Cn. Scipiones tristissimum in modum interierunt; deinde perspicuum esse videtur illud *„nuper"* a Livio adverbio *„nunc"* esse oppositum, a quo proxima incipit sententia; denique neglegendum non est, coniunctionem *„quoque"*, quae cum adverbio *„nuper"* artissime cohaeret, respicere ad sententiam praecedentem, qua P. Cornelius Scipio militibus exponit, non esse, cur de rebus suis desperent, vel, ut scriptoris ipsius verbis utar, animis deficiant. Optime igitur omnia inter se cohaererent, si ille eo loco, de quo agitur, militibus declararet, ne clades quidem, quas paulo ante accepissent, eas esse, quibus animi eorum frangerentur. Quod eum suo iure affirmare potuisse, quis est qui neget? Notum est enim, L. Marcium, equitem Romanum, ad quem milites una voce post interitum Scipionum summam imperii detulerant, rebus praeclare gestis damna Romanis inlata sarsisse. A quo Livius ipse Claudio quodam auctore usus enarrat (lib. XXV, 37 sq.) non modo Hasdrubalem, Gisgonis filium, qui ad reliquias belli delendas Hiberum transgressus Romanorum castra oppugnare ausus erat, fusum atque fugatum, sed etiam paulo post bina hostium castra expugnata, ad triginta milia hostium caesa, ad mille octingentos triginta captos, praedam ingentem partam esse.[1]) — Nihil autem attinet, utrum ea, quae memoriae tradidit, vera sint necne; id dubitari nequit, quin Scipio illo loco iure meritoque dicere potuerit, Romanos a Carthaginiensibus gravissimas poenas repetisse et imperatorum mortem praeclarissime ultos esse.[2]) Quid autem impedit, quominus coniciamus in coniunctione *„utinam"* verbum ulciscendi ab-

---

[1]) v. lib. XXV, 39, 12.

[2]) In ipso orationis exordio dixerat (§ 5): *amissam tanta clade provinciae possessionem integram et populo Romano et successori mihi virtute vestra obtinuistis.*

Digitized by Google

ditum latere?[1]) Facile enim fieri potuit, ut librarius quidam pro *„ulti iam“* falso scriberet *„utinam“* et post adverbium *„iam“* idem vocabulum iteraret vel ei simillimum *(„tam“)* in textum reciperet, verbum autem *„estis“* intermitteret. Itaque propono, ut locum illum desperatum sic emendemus: Nuper quoque quae acciderunt, ulti iam[2]) estis.

Restat, ut in reliquam sententiae partem inquiramus eique, quoad eius fieri possit, medeamur. Qua in re haud neglegenda sunt, quae in initio proximae sententiae scripta invenimus: *„Nunc dii immortales imperii Romani praesides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium iuberent dari, fuere auctores, iidem auguriis auspiciisque et per nocturnos etiam visus omnia laeta ac prospera portendunt.“* Jam supra monuimus illud *„nuper“* a scriptore oppositum esse adverbio *„nunc“*, et Weissenbornium et Friedersdorffium recte intellexisse, transitum ad alteram orationis partem desiderari, qua Scipio ostendere voluerit, timendum non esse, ne consilium suum maius audaciusque quam pro aetate sua videretur. Quod militibus facillime persuadere poterat, si demonstrabat eos, priusquam ipse exercitui praeesse coepisset, iam res tam praeclaras gessisse, ut de ceteris bene sperare possent. Quam sententiam haud scio an nullo negotio ex iis verbis, quae tradita sunt, elicere possimus, si substantivum *„luctu“*, quo oratio maxime disturbari mihi videtur, mutaverimus vocabulo *„ductu“*, quam mutationem admodum levem esse nemo non concedet. Itaque scribendum esse censeo: sine meo ductu. Jam apparet adverbium *„quam“* removendum esse. Ac facile fieri potuit, ut propter vocem praecedentem *„tam“* in textum inreperet; verisimilius autem esse mihi videtur in eo verbo occultam esse coniunctionem *„que“* et librarii cuiusdam culpa vocabulum *„auspicio“* intercidisse. Quid? sententia sane perspicua nonne evadet, si locum sic emendaverimus: sine meo ductu auspicioque?[3]) Jam omnes difficultates sublatae esse mihi videntur: nam sententia: *„Nuper quoque quae acciderunt, ulti iam estis sine meo ductu auspicioque“*, et aptissime concluditur prior orationis pars, qua Scipio milites confirmare vult, quos timere putat, ne consilium suum maius audaciusque quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum aut pro aetate sua videatur (§ 7), et optime eorum, qui audiunt, animi praeparantur ad alteram partem, qua militibus ille explicat, suo ductu auspicioque omnia prospere esse even-

---

[1]) Marcius lib. XXV, 37, 10 milites adhortatur, ne inultos imperatores suos iacere sinerent.

[2]) De hoc adverbio inter copulam et participium posito v. Kühnast. Liv. Syntax p. 315.

[3]) v. lib. XXVIII, 38, 1: *Haec in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta;* III, 42, 2: *ne quid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur;* VIII, 31, 1: *cuius ductu auspicioque vicissent etc.*

Digitized by Google

tura. Nec mirum est, quod res a Marcio equite gestas obiter perstringit, cum id unum agat, ut semet ipsum summis efferat laudibus. —

Jam ad proximum transeo librum **(XXVII)**, ut de eo loco agam, quem scriptum videmus cap. **28, § 3.**

Hannibal, cum Marcellum insidiis, quas ei prope Venusiam struxerat, miserum in modum perdidisset, in eum tumulum, in quo paulo ante acerrime pugnatum erat, castra transferri iussit, Crispinus autem, qui imperatorem Romanum in illa expeditione funestissima comitatus, gravi vulnere accepto, perniciem vix effugerat, in proximis montibus loco alto et tuto undique castra posuit. Quibus rebus enarratis Livius sic pergit: *„ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem.*[1]) *Anulis Marcelli simul cum corpore Hannibal potitus erat. Eius signi errore ne cui dolus necteretur a Poeno, metuens Crispinus circa civitates proximas miserat nuntios, occisum conlegam esse anulisque eius hostem potitum: ne quibus litteris crederent nomine Marcelli compositis.“* — Ac Weissenbornius, quamquam verba *„sagaciter moti sunt“* sic interpretatur: „sie setzten sich mit Scharfsinn in Bewegung, zeigten ihren Scharfsinn bei dem, was sie thaten, boten ihren Scharfsinn auf, indem das Adverbium bisweilen Bestimmungen zum Verbum hinzufügt, die wir als Objecte oder Bestimmungen des Subjects auffassen,“ tamen illum dicendi modum mirum sibi videri ipse confessus pro *„moti“* fortasse *„intenti“* scribendum esse coniecit. Accedit, quod in codice Puteaneo non *„moti“*, sed *„monti“* scriptum legimus. Equidem, etsi concedere non dubito adverbium *„sagaciter“*, quo modo vir ille doctissimus voluerit, cum verbo a scriptore coniungi potuisse, tamen mihi persuadere non possum, verbum ipsum movendi suo loco esse positum. Eoque minus credo eum *„sagaciter moti sunt“* dixisse pro: *„in ea re, quam excogitavere, magna sagacitate usi sunt,“* quod nec Hannibal nec Crispinus locum, quo uterque eorum castra posuerat, relinquit. Itaque vocabulum *„moti“* vitiosum esse ratus emendationem viri cuiusdam docti a Weissenbornio allati approbo, qui legi vult: *„moliti“*, quam lectionem ex illa inani voce codicis Puteanei *(„monti“)* facillime erui posse, pluribus exponere non opus est. Atque comprobarem scripturam: *„sagaciter moliti sunt“* (= sie waren in scharfsinniger Weise thätig, geschäftig), si verbum moliendi iis locis, quibus intransitivam habet significationem, cum praepositione „ad“ coniungeretur. Cum vero scriptores latini dicere soleant vel *„moliri de aliqua re,“*[2]) vel *„moliri in aliqua re“*[3]), obiectum ad-

[1]) Verba: *„alter ad cavendam“* non exstant in codice Puteaneo, sed ex recentioribus quibusdam adiuncta sunt.

[2]) Cic. de rep. II. 35: *„Quo in statu rei publicae Sp. Cassium de occupando regno molientem“ etc.*

[3]) Cic. in Verr. IV, 43, 95: *horam amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur.*

Digitized by Google

dendum esse existimo. Quod ex ipso adverbio „*sagaciter*“ eliciens legendum esse conicio: „*sagaciter iter moliti sunt alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem.*“ Notum est enim verbum moliendi non solum de iis rebus dici, ad quas perficiendas magnis viribus vel corporis vel animi opus est, sed etiam de iis, quae secreto magna cum astutia excogitantur,[1]) ita ut idem significet, quod verbum struendi, quocum saepius coniungitur.[2]) Vocem autem itineris saepe idem esse ac „*rationem*“, et aeque ac „*viam*“ tralaticiam significationem habere, tam tritum est, ut eius rei exempla ponere vix opus sit.[3]) Ac nescio an eodem iure illo loco scribi possit: „*sagax iter moliti sunt;*“ nam haud raro Livium adiectiva cum rebus coniungere, quae proprie in personas tantum cadant, ex iis patet exemplis, quae Kühnastius[4]) collegit. —

Ex proximo libro **(XXVIII)** duo loci digni videntur esse, de quibus accuratius disputem; ac primum quidem agam de c. **27, § 11.** —

Cum per Hispaniam fama percrebruisset, P. Cornelium Scipionem gravi morbo correptum mortuum esse, non solum Mandonius et Indibilis, Ilergetum reguli, rebellaverunt, sed etiam exercitus Hispaniensis ipse, cui ille praeerat, seditionem movere coepit. Quam ut celeriter opprimeret, ubi convaluit, principes coniurationis comprehendi et vinciri iussit. Tum, contione convocata, in milites vehementissime invectus est. In oratione autem, quam apud eos habuit, Livius eum cum multa, tum haec facit dicentem (§ 8): „*Equidem, pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea; sic me non solum adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostis: in castris en meis — quantum opinio fefellit! — fama mortis meae non*

---

[1]) Cic. pro Sestio 1, 1: *optimis civibus periculum moliri;* ibid. 18, 41: *Atque hanc eius suspicionem ..... ipsi excitaverunt, ut ille, cum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cavendum putaret.*

[2]) cf. Liv. XXIV, 23, 11: *Id moliri clam eos atque struere, ut Syracusae per speciem reconciliatae societatis in dicione Romanorum sint.* — v. II, 3, 6: *interim legati alia moliri, aperte bona repetentes clam recuperandi regni consilia struere etc.* — Cic. orat. phil. II, 19, 48: *cuius etiam domi iam tum quiddam molitus est.* — Cum ipsis vocabulis itineris et viae verbum moliendi coniungi solere ex hisce discimus locis Vergilianis: *Inde datum molitur iter* (Aen. VI, 477). — *Illa (sc. hasta) volans humeri surgunt qua tegmina summa, Incidit, atque viam clipei molita per oras Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni* (Aen. X, 476 sq.).

[3]) cf. Tacit. hist. IV, 49: *unam in audacia spem salutis, sed duo itinera audendi etc.* — Verg. Aen. II, 387 et 388: *fortuna salutis monstrat iter.*

[4]) Livianische Syntax, p. 292, sq.: largitio prodiga, inconsulta V, 20, 5. — segne bellum (XXIII, 35, 1.) — segne proelium (XXII, 48, 1.) — segnis pugna (XXII, 5. 10.) — cf. Hor. carm. IV, 4, 75: *curae sagaces expediunt per acuta belli.* — Lucr. I, 368: *sagaci ratione quaerere aliquid.*

Digitized by Google

accepta solum, sed etiam exspectata est. Non quod ego vulgari facinus per omnes velim — equidem, si totum exercitum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer, nec me vita iuvaret invisa civibus et militibus meis —; sed multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est, et venti et aurae cient, ita aut tranquillum aut procellae in vobis sunt; et causa atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis, qui mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiae progressi sitis" etc. [1]) — Atque magno opere miror, quod editores in verbis: „*et causa atque origo omnis furoris penes auctores est*" non offenderunt; equidem Livium sic scripsisse persuadere mihi non possum. Nam sententia, quae illis verbis continetur, tam trita est, ut non satis perspiciam, quanam de causa Scipio eam omnino pronuntiaverit; praeterea parum mihi observatum videtur esse „*omnis*" ante id substantivum, ad quod pertinet, cum vi quadam esse positum. Multo autem meliorem illius enuntiationis sensum fore putaverim, si inter verba „*penes*" et „*auctores*" intercalaverimus „*paucos*", quod illo ipso loco librarii cuiusdam neglegentia facillime intercidisse potest. Quicunque enim primam orationis partem perlegerit, nullo negotio cognoscet, imperatorem apud exercitum verba facientem id potissimum agere, ut culpam seditionis exortae conferat in parvum militum numerum. Itaque iam ineunte § 6 dicit: „*negate vos id omnes fecisse aut factum voluisse, milites; paucorum eum furorem atque amentiam esse* (sc. dicite): *libenter credam negantibus.*" Illo autem loco, ut scelus a militibus commissum tamquam excuset, ad eandem sententiam rediens ipse profitetur omnia facinora subornari solere a paucis. Lectione autem, quam proposui, comprobata, sententia et cum iis verbis, quae praecedunt, artissime cohaeret et optime opponitur verbis subsequentibus: „*vos contagione insanistis*" etc. —

Alter locus lib. **XXVIII**, de quo disserere mihi in animo est, in eadem P. Cornelii Scipionis oratione invenitur. — Qui, priusquam in milites seditiosos vehementissime invectus dicendi finem faciat, iis, quantopere insaniverint, verbis exponit tam gravibus, ut tamquam de ira apud milites se excusandi causa haec verba addat (**cap. 29, § 5**): „*non negaverim tristem atrocemque vobis visam orationem meam: quanto creditis facta vestra atrociora esse quam dicta mea?*" — Haec sententia quid sibi velit, perspicuum est; neque vero ea verba, quae subsequuntur, sana esse mihi videntur. Atque omnes fere editores inter se consentiunt,

[1]) Luchsius l. a. scribit: „*sed multitudo omnis sicut natura per se immobilis est; ut venti et aurae cient, ita aut tranquillum aut procellae in vobis sunt; et causa*" etc. — M. Hertzius: ... *et militibus meis —, sed multitudo omnis sicut natura maris per se immobilis est, et venti et aurae cient — ita aut tranquillum aut procellae in vobis sunt. Et causa etc.*

Digitized by Google

ea, quae inveniuntur in codice Puteaneo: „*et me ea que* (= quae) *fecistis vos ne dici quidem omnia aequo animo fertis*“ lectione recentiorum quorundam codicum supplenda et totum locum sic restituendum esse: „*et me ea, quae fecistis, pati aequum* (vel *aecum*) *censetis:*[1]) *vos ne dici quidem omnia aequo animo fertis.*“[2]) Recte autem Weissenbornius, qui fusius hoc de loco disputavit, monet, etiamsi illa scriptura orationi inseratur, tamen verborum sententiam satis bonam non esse. Dicit enim vir ille doctissimus l. l.: „Doch bleibt auch so „omnia“ auffallend, weil es scheint, als ob die Erwähnung einiger (?) ihnen nicht unlieb gewesen wäre, da ein Gegensatz, etwa Reden u. ä., nicht gedacht werden kann; „ne ea quidem“ aber nicht passend „ne dici quidem“ gegenübergestellt ist.“ — Quam ratiocinationem ut ex animi sententia comprobem, cum iisdem, quibus ille, commoveor causis, tum ea re, quod in verbis proximis: „*sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur. Utinam tam facile vos obliviscamini eorum, quam ego obliviscar*“ formae pronominis demonstravi „*ea*“ et paulo post „*eorum*“ quo respiciant, non satis intellego; nam ad „*omnia*“ referri posse vix videntur. Atque haud scio an difficultati, quam in illo loco inesse nemo non concedet, facile mederi possimus, si pro voce „*omnia*“, cuius loco substantivum quoddam desiderari iis, quae subsequuntur, verbis maxime significari mihi videtur, scripserimus opprobria. Facillime enim fieri potuit, si librarius quidam a priore littera r ad alteram aberrans scripserat oppria, ut illud omnia, quod sensu carere recte Weissenbornius intellexit, in textum inreperet. — Restat, ut paucis locum ipsum sic emendatum explicem. Cum in iis verbis, quae antecedunt, facta opponantur dictis,[3]) consentaneum esse putaverim, in ea quoque sententia, de qua agitur, scriptorem eodem modo verba dicendi et faciendi inter se componere. Quid? omnia nonne maxime perspicua erunt, si, illo substantivo recepto, locum sic interpretabimur: „Und dass ich das, was ihr gethan habt, mir gefallen lasse, das haltet ihr für billig; ihr aber ertragt nicht einmal das Aussprechen der Vorwürfe mit Gleichmut.“[4]) Atque haud ineptum mihi videtur esse, cum eo loco, de quo disputamus, versus conferre Ovidii

---

[1]) Hac de lectione Weissenbornius non satis dilucide in editione commentario instructa haec dicit: „*pati aequum censetis*“ unsichere Ergänzung jüngerer Handschriften, die für den Sinn nicht notwendig ist, aber in dieser oder ähnlicher Form durch die Gegenüberstellung der Gedanken im Vorhergehenden und die chiastische Form der Rede wohl gefordert wird. (?)

[2]) Drakenborchius pro „*fertis*“ scribit „*ferretis*“.

[3]) § 5: „*Quanto creditis facta vestra atrociora esse quam dicta mea?*“

[4]) De significatione vocis opprobrii cf. F. Schultz, Lat. Synonymik, Nr. 240. — Recte Weissenbornius ad hunc locum adnotavit: der Redner scheint Zeichen der Unzufriedenheit bei den Hörern vorauszusetzen.

Digitized by Google

(Metam. I, 758), qui Phaethontem ab Epapho maledictis lacessitum haec dicentem fingit:

Pudet haec opprobria
Et dici potuisse et non potuisse refelli. —

Neminem autem in collocatione verborum offensurum esse spero, nam quamquam concedendum est, Livium eodem iure scribere potuisse: *„ne dici opprobria quidem"*, tamen compluribus locis et huius scriptoris et aliorum comprobatur, non solum ea verba premenda esse, quae vocabulis *„ne"* et *„quidem"* intercluduntur.[1]) Forsitan quispiam dixerit, mirum videri, quod in enuntiatione subsequenti Livius verbo exprobrandi utatur. At mea quidem sententia non est, cur in vocabulis *„opprobria"* et *„exprobrare"* inter se coniunctis offendamus. Notissimum est enim illum scriptorem haud raro vocabula ab eodem verbo nativo ducta inter se conectere, qua de re fusius disputavit M. Muellerus.[2]) —

Priusquam scribendi finem faciam, duos locos, qui mihi ultimum decadis tertiae librum (XXX) legenti obvii fuerunt, tractare constitui, ac primum quidem cap. **10, § 19.**

Cum Romani a. 202 a. Chr. n. Uticam obsiderent, Carthaginienses classem centum navium eo miserunt, quae in naves illorum impetum facerent. Quo factum est, ut Scipio, qui interea Tunetem, quae urbs prope Carthaginem sita erat, occupaverat, inde celerrime rediret, ut se suosque ab hostibus defenderet. Neque vero eis obviam ire potuit, cum navibus longis ad terram adpulsis et operibus instructis ad urbem obsidendam uteretur.[3]) Quae cum ita essent, satis habens impetum hostium repellere, quadriplici ordine navium onerariarum instructo (§ 5), omnes *„malis antemnisque de nave in navem traiectis ac validis funibus velut uno inter se vinculo inligatis"* ita inter se coniunxit, ut inter binas naves singuli pontes essent. Longum est enarrare, qua ratione Carthaginienses proelium navale commiserint; id commemoro, eos ex navibus suis asseres ferreo

---

[1]) v. Liv. IV, 3, 10: *non modo non patricium, sed ne civem quidem Romanum.* — Cic. pro Sulla 8: *non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli.* — Cic. in Verr. II, 46: *non modo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota.* — Quintil. IX, 4, 57: *ne Marcus quidem Tullius.* — Plin. epist. III, 5: *ne caeli quidem asperitas.* — ibid. IV, 14: non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse. —

[2]) Beiträge zur Kritik u. Erklärung des Livius. Progr. d. Gymn. zu Stendal 1871, p. 14. Ex hac commentatione haec affero exempla: noxam nocere (IX, 10, 9), sectam sequi (VIII, 19, 10 et saepius), censum censere (XLIII, 14, 5), facinus facere (I, 41, 3), actiones peragere (III, 20, 1), acta agere (XXVI, 32, 6). Cf. Kühnast, Liv. Synt. p. 141 et p. 392.

[3]) cf. XXX, 10, 5: *Qui enim restitissent agili et nautico instrumento aptae et armatae classi naves tormenta machinasque portantes et aut in onerarium usum versae aut ita pulsae ad muros, ut pro aggere ac pontibus praebere ascensus possent?*

Digitized by Google

unco praefixos in Romanas iniecisse, quibus pontes illos delerent. Livius autem, postquam enarravit, quantas in angustias Romani ea re perducti essent, sic pergit: *„hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, et vix transiliendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est.“*

Ac par est viros doctos haerere, quid coniunctio *„quidem“* post participium *„lacerati“* posita sibi velit, cum non perspiciatur, quanam de causa Livius verbum lacerandi cum vi quadam posuerit. Nam illud *„quidem“* suo loco tum fuisset, si hunc fere in modum enarrare perrexisset: *„neque vero naves ipsae ab hostibus captae sunt.“* Itaque recte Madvigius [1]) monuit *„particulam „quidem“ tam prave esse positam, cum nulla minima esset causa verbi lacerandi sic extollendi, ut mendum manifestum teneretur.“* — Num autem pro *„quidem“* recte *„tandem“* scripserit, dubitaverim. Neque enim facile intellegitur, quomodo illud *„quidem“* in orationem inrepserit, et recte adnotat Weissenbornius ea, quae subsequantur, ita esse comparata, ut rectius conici possit Livium ipsum scripsisse *„statim“*. Itemque Madvigii coniecturam improbavit Zingerleius, qui in editionem a se curatam [2]) suam ipsius emendationem recipiens scribendum esse censet: lacerati ibi quidem omnes pontes. Cui coniecturae assentiri animum inducere non queo propterea, quod in iis verbis, quae praecedunt, non diserte dicitur, qua ex parte a Carthaginiensibus impetus sit factus, neque intellegitur, quonam illud *„ibi“* respiciat. Equidem alia ratione mendum, quod in illis verbis abditum latere neminem fugit, delendum censeo. Etenim cum ex iis, quae Livius antea [3]) explanavit, appareat non omnes pontes, quibus naves inter se coniunctae erant, sed primi tantum ordinis laceratos esse, suspicor ante vocem *„omnes“* vocabulum *„ordinis“*, quod, cum item a littera o incipiat et littera s finiatur, a librario facile omitti potuit, restituendum et ante illud *„quidem“*, quod post participium *„lacerati“* collocatum bonum sensum non habere supra docuimus, nomen numerale *„primi“* esse inserendum, quod eo facilius intercidere potuit, quia forma participii exitum habet in litteram i, quae notae nominis numeralis (I) est simillima. Itaque hunc locum corruptum optime sanatum iri puto, si scripserimus: *„hoc maxime modo lacerati primi quidem ordinis omnes pontes, et vix transiliendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est.“* [4])

---

[1]) Emend. Liv. p. 427, edit. II.

[2]) Titi Livi ab urbe condita libri scholarum in usum edidit Ant. Zingerle, p. IV, Pragae et Lipsiae, Tempsky et Freytag, 1883.

[3]) § 5: *onerariarum* (sc. navium) *quadriplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit etc.*

[4]) Haud scio an simili ratione alteri quoque loco mederi possimus. Libro enim

Digitized by Google

Cum mihi iam esset exploratum hoc modo locum illum depravatum esse emendandum, in manus venerunt adnotationes criticae, quas M. Muellerus nuper edidit.[1]) Unde cum cognovissem virum doctissimum item nomen numerale „*primi*“ ante „*quidem*“ orationi inserendum esse censere, eandem coniecturam iterum proferre omnino supersedissem, nisi docere voluissem, quonam modo illud mendum exortum esse putarem. Ceterum ab amico ea re dissentio, quod vocabulum „*omnes*“ removendum[2]) esse non puto, sed propter id ipsum a librario quodam neglegenti substantivum „*ordinis*“ omissum esse persuasum habeo. —

Ultimus locus, de quo agam, invenitur eiusdem libri (XXX) proximo capite (11), § 10.

Ad Scipionem, cum naves ad Africae oram appulisset, Masinissa, rex Numidarum, accessit, ut una cum Romanis contra Carthaginienses et Syphacem, aemulum suum, bellum gereret. A quo adiutus cum ille, nocturno impetu castris et Poenorum et Masaesuliorum incensis, hostes in fugam vertisset, una cum rege socio in regnum Syphacis, quo hic, ut fines suos ab hostibus defenderet, clade illa accepta, sese receperat, invasit sperans se eo nullo negotio esse potiturum. Sed ille, summa celeritate magnis copiis et equitum et peditum coactis, ut proelium cum hostibus committeret, iis obviam ire constituit. Ac cum haud procul ab iis abesset, castris positis, equites speculandi causa provehi iussit. Itaque, cum a Romanis quoque equites, qui illos repellerent, mitterentur, paulatim proelium equestre exortum est. Quod qualem eventum habuerit, Livius hisce exponit verbis (§ 8—10): „*Ac dum sincerum equestre proelium erat, multitudo Masaesuliorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat; deinde, ut pedes Romanus repentino per turmas suas viam dantes intercursu stabilem aciem fecit absterruitque effuse invehentem sese hostem, primo barbari segnius permittere equos, deinde stare ac propere turbati novo genere pugnae, postremo non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere peditis praesidio audentem.*“

XXV, 38, 23 pro „*quarta vigilia movere*“, scribendum esse conicio: „*tertia vigilia movere*“, cum paulo ante (§ 16) Marcius diserte dixerit: „*tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos.*“ Facile enim fieri potuit, ut, ultima littera vocis „*est*“ (t) ad notam nominis numeralis III falso attracta, exoreretur forma IIII (= quarta). Nam interpretatio Weissenbornii et H. J. Muelleri: „nachdem sie sich in dieser (d. h. dritten Nachtwache) versammelt hatten, brachen sie um die vierte Nachtwache auf“ mihi nimis contorta videtur, quam ut eam comprobare possim.

[1]) Neue Jahrb. f. Philol. u. Pädag. tom. 129 et 130, fasc. 3, p. 190.

[2]) M. Muellerus l. l. dicit: „omnes kann nicht richtig sein.“ — Quanam re, ut id dicat, perducitur? Estne verisimile Romanos in secundum ordinem quam celerrime se recepturos fuisse, nisi omnes primi ordinis pontes ab hostibus essent disturbati?

Digitized by Google

Et suo iure viri doctissimi verba „*propere turbati*“, quae scripta legimus in codice Puteaneo, non genuina esse rati in textum recipere veriti sunt, et ipse mihi persuadere non possum Livium sic scripsisse; nam et illud adverbium „*propere*“ plane supervacaneum esse apparet, neque coniunctionem „*ac*“ suo loco positam esse arbitror. Verisimilius esse putaverim eum, si verba „*turbati novo genere pugnae*“ ad ea, quae subsequuntur, referri voluisset, scripturum fuisse: „*dein stare, postremo, turbati novo genere*“ etc. Recte autem, quo vitio ille locus laboraret, perspexisse mihi videntur, qui ex adverbio „*propere*“ infinitivum alicuius verbi eliciendum esse coniecerunt. Ac Weissenbornius, qui lectionem editionis stereotypae „*propere turbati*“ in editionem commentario instructam omnino non recepit, initio vel „*perturbari*“ vel „*torpere turbati*“ [1]) legendum esse censuit, postea pro „*propere*“ scripsit „*prope*“. Quod ut faceret, quanam causa permotus sit, non intellego, nam illud „*prope*“ mihi etiam ineptius esse videtur, quam „*propere*“; reapse enim equites perturbatos esse ex proximis verbis satis apparet. Sed forsitan intellexerit verbum torpendi suo loco non esse positum et rectius ante verbum permittendi esse collocandum (*„primo barbari torpere et segnius permittere equos“*, vel *„primo barbari torpentes“* etc.); neque enim negari potest mirum videri, quod hoc demum loco commemoratur equites esse timore perculsos. Eadem de causa emendationem A. Kochii, [2]) qui scriptum voluit „*trepidare*“ aut Luchsii, [3]) qui „*pavere*“ scribendum esse coniecit, comprobare non possum, praesertim cum non satis intellegam, quomodo ex vocabulis „*trepidare*“ vel „*pavere*“ illud vitiosum „*propere*“ exortum sit. Ut autem ipse meam sententiam proferam, pro illo adverbio sensu carenti ab auctore ipso „*prospicere*“ scriptum esse persuasum habeo, quod vocabulum librarium, paucis litteris omissis, facillime in „*propere*“ [4]) corrumpere potuisse omnes concedent. Manifestum est enim Livi enarratione equites Syphacis initio semel ac saepius impetum in hostes facere, deinde, cum non modo ab eorum equitibus sed etiam a peditibus per turmas intercurrentibus repellantur, primo animo deficere (*„segnius permittunt equos“*), postea incursiones facere non iam audentes stare procul ab acie Romanorum, cum „*perturbati novo genere pugnae*“ nesciant, quid in rerum discrimine faciant. Hoc autem loco aptissime mihi positum esse videtur verbum prospiciendi. Nam Numidae,

---

[1]) Quam lectionem ut comprobet, affert locum ex Liv. X, 29, 2: *torpere quidem et nec pugnae meminisse nec fugae.*

[2]) Emendatt. Liv. pars altera. Progr. d. Ritterakademie Brandenburg, 1861, pag. 13.

[3]) Titi Livi ab urbe condita libri a XXVI ad XXX, p. 334.

[4]) In codice Harleiano pro *„propere turbat in“* initio scriptum erat: *„prospere turbat in“*, quae lectio ad coniecturam a me factam propius accedit.

Digitized by Google

cum non habeant, quo modo ab hostium copiis se defendant, se recipere constituunt, ut, priusquam denuo impetum faciant, cognoscant, quantae copiae contra se proficiscantur. Quod facillime explorare potuerunt, ubi procul a Romanis totum pugnae locum perlustraverunt oculis. Eos autem, ut id facerent, in locum editum sese contulisse, non diserte auctor enarrat, nec opus est verbum prospiciendi sic interpretari, cum non modo significet „ex alto loco aliquid intueri“ [1]), sed etiam „attento animo aliquid videre“ (= „auf der Lauer stehen,“ „nach etwas ausschauen,“ „lauern“). [2])

M. Muellerus in adnotationibus criticis, quas tum demum, cum hanc absolvi commentationem, cognovi, recte vituperata [3]) Madvigii emendatione, quam in novissima editione [4]) protulit — scribendum autem esse censet: *„dein stare ac prope retro ire“* —, illud *„prope“* retinere vult et cum viro illo doctissimo consentiens syllabam *„re“* exitum infinitivi alicuius esse, ut vel *„stare ac prope torpere“* [5]) vel *„stare ac prope stupere“* [6]) scriberetur, proposuit. Equidem, quominus illam approbem emendationem, duabus impedior causis; primum, quod verbum torpendi vel stupendi suo loco non est positum, ut supra commemoravi, deinde, quod illud *„prope“* nimis languere ratus eam coniecturam, quam ipse protuli, ex codicis Puteanei lectione perversa multo facilius elici posse iudico. —

Hic subsistere mihi placet; de aliis quibusdam locis Livianis alias disputabo. —

---

[1]) cf. Liv. XXI, 49, 8: *qui ex speculis prospicerent adventantem classem missi.* — Accuratius de huius verbi significatione disseruit Drakenborchius ad Titi Livi lib. XXII, 6, 8.

[2]) cf. Corn. Nep. vita Hannibalis 12, 4: *Huc cum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens Hannibali dixit plures praeter consuetudinem armatos apparere.* — Phaedr. fabul. II, 4, 10: *pavorem simulans felis prospexit toto die.* — Aeque Homerus verbum προορᾶν usurpat; ut dicit de Hectore Achillis telum sollerter evitante: καὶ τὸ μὲν ἄντα ἰδὼν ἠλεύατο φαίδιμος Ἕκτωρ· ἔζετο γὰρ προϊδών (Il. XXII, 274, 275; cf. ibid. XVII, 755).

[3]) Dicit l. l. .: „Retro ire greift dem folgenden cedere vor.“

[4]) Hauniae 1882.

[5]) cf. XXVI, 36, 1. XXXIII, 7, 5. XXVIII, 35, 8. XXX, 30, 2.

[6]) cf. II, 30, 12. IX, 2, 10. V, 39, 1. XXIII, 47, 8. XXV, 37, 13. — Luterbacherus (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 1884) *„stare ac stupere“* legere mavult.

Digitized by Google

Index locorum his schedulis tractatorum.

1. XXII, 45, 4 . . . . . p. 5—6
2. XXIII, 17, 7 . . . . . „ 7—10
   (XXIII, 12, 1. XXVIII, 16, 8) . . . . . „ 9 n. 4; 10 n. 1
3. XXIV, 39, 3 . . . . . „ 10—12
4. XXV, 6, 2 . . . . . „ 12—14
5. XXV, 37, 17—19 . . . . . „ 14—15
6. XXVI, 5, 5 . . . . . „ 16—17
7. XXVI, 41, 18 . . . . . „ 17—21
8. XXVII, 28, 3 . . . . . „ 21—22
9. XXVIII, 27, 11 . . . . . „ 22—23
10. XXVIII, 29, 5 . . . . . „ 23—25
11. XXX, 10, 19 . . . . . „ 25—27
    (XXV, 38, 23) . . . . . „ 26 n. 4
12. XXX, 11, 10 . . . . . „ 27—29

Digitized by Google

DE NONNULLIS EPITHETIS HOMERICIS.

SCRIPSIT

F. SEELMANN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nemo fere est doctrinae elegantioris, qui non Homerica carmina legens mirum quantum moveatur genuina illa et inaffectata carminum et suavitate et granditate. Sentiunt omnes, maximi ibi ingenii expandi poeticam vim delectanturque cum rerum varietate tum venustate orationis; sed nescio quo modo pauci causas ipsas, cur adeo delectentur, vel inquirunt vel inveniunt. Qui vero id sibi proposuerint, ut summum poetae artificium causasque, cur ipsi delectentur, cognoscant et perspiciant, ob eamque rem accuratius identidem legerint poetae carmina, eos non fugisse puto, nihil in eius oratione plus habere delectationis aut maiori ei esse ornamento quam ornantia, quae vocant, epitheta. Quorum quae sit vis et natura, recte intellegere et perspicere eo difficilius est, quod, qui iam pueri ad legendum instituamur Homerum, et priusquam eum ipsum cognovimus, iam proprietates eius dictionis per Germanicos eius imitatores quasi hauserimus, quantum inter nostram et Homeri orationem intersit, vix sentimus. Et tamen toto caelo eae differunt. Nostri enim poetae et cuiusvis generis scriptores epitheta ponunt fere nulla, nisi quae substantivi alicuius peculiaris certo aut tempore aut loco condicio requisiverit, nec, nisi a solita specie substantivum aliquod abhorrere ostendere volumus, omnino utimur epithetis. Ita fit, ut nullum fere apud nos epitheton ornandi causa ponatur, omnia fere rem aliquam aut ab altera aut a se ipsa, qualis esse soleat, certo tempore differre significent. Qui usus epithetorum (significantia ea lubet vocare) est apud Homerum rarissimus. Liceat in hoc quoque genere ea uti arte, quae nunc patet latissime et ab nullo fere iam genere arcetur, statistica dico. Comparavi igitur ad demonstrandum, quam diversus esset nostratium poetarum et Homeri in epithetis ponendis usus, Homeri Odysseae l. IV et Goethii Hermanni et Dorotheae librum alterum, tertium et quarti tot versus, ut par efficeretur apud utrumque versuum numerus. Ornantia autem epitheta volo esse ea, quae rei ipsius ita sunt propria, ut sine iis res ipsa cogitari non possit, ut *ὑγρὸν ὕδωρ, καιόμενον πῦρ, γλαφυρὸν σπέος, νῆσος περίρρυτος*, aut,

Digitized by Google

etiamsi non omnibus eiusdem generis rebus nec semper iis conveniant, tamen tam saepe cum iis inveniuntur coniuncta, ut cum iis quasi in unum coaluerint; cuius generis sunt *ναῦς θοή, ἐπήρετμος, δεινὸς κόλπος, πόντος ἀτρύγετος, ἔπεα πτερόεντα, νημερτὴς βουλή,* alia. Quid? quod adeo ea epitheta cum substantivis suis coaluerunt, ut, cum condicio substantivorum aliquando plane abhorreat ab illis epithetis aut contraria iis sit, ne tum quidem omittantur? Ut naves, cum in portubus in anchoris stant, tamen sunt *νῆες θοαί,* aut cervus, ex cuius corio pera confecta est, quae ipsa quoque iam paene vetustate est deleta, *ἐλαφρός* vocatur. Tam late patet ornantium epithetorum apud Homerum usus. Significantia autem intellego ea epitheta, quibus significetur, rem vel personam aut specie esse non usitata aut peculiari loci, temporis, casus condicione ita esse affectam, ut a solita specie differant. Quibus definitionibus praemissis ne illud quidem videtur esse praetermittendum, si qua adiectiva praedicative sint posita, ea, quoniam totius enunciati sunt instar, a me non esse numerata. Numeratis autem in iis, quos dixi, libris epithetis et ornantibus et significantibus, efficitur, ut, si numeralia adiectiva, quae ad id, quod quaerimus, nullius sunt momenti, exceperis, apud nostratem poetam numerus reperiatur significantium epithetorum triplo fere maior, quam apud Homerum, ornantium contra epithetorum apud Homerum tanta vis, ut noster cum eo comparari vix possit. Inde apparet, quantum ad recte aestimandam poesin Homeri tribuendum sit illis epithetis. Nam ut ab indoctis plane intellegatur, quanta sit vis et qui ornatus eorum, ne in iis quidem, quorum neque origo neque significatio obscura est, satis est verbum ex verbo vertisse, sed, ut nostrae rerum vel contemplationi vel appellationi respondeatur, saepe multorum verborum ambagibus in vertendo opus est. Docti vero homines, quibus nota est epithetorum natura, satis habent illi quidem in interpretando poeta verbum posuisse pro verbo, sed tamen ita, ut vernaculum vocabulum et breve sit et aptum et par Homerico. Quod si vel in iis epithetis, quae nihil dubitationis habent, difficile est, quanto magis in iis, quae multa sunt, quorum origo dubia et significatio incerta est! Ipsi scholiastae dubitant et modo hoc modo illud suspicantur et vaticinantur, et tamen, nisi, ut demonstravimus, magnam poesis venustatem interire volumus, omnibus viribus nobis enitendum est, ut probabilem saltem in interpretandis epithetis inveniamus explicationem, etiamsi apta version ecarere posse videamur. Fateor, multum valuisse ad enodanda vocabula Homerica comparativam, quam dicunt, linguarum disciplinam, neque tamen negandum est, in nonnullis ea impeditiorem factam esse rem. Neque mirum. Nam vocabula quoque sua habent fata et multas significationis vicissitudines. Neque satis est ad recte aestimandam vim Homericorum epithetorum poeticam radices eorum in vetere Indorum

Digitized by Google

lingua reperisse, cum eae apud Graecos tantum ab origine recessisse tantamque notionis diversitatem subire potuerint, ut cognita origine nihil tamen ad Homericum usum cognoscendum profectum esse videatur. Jam igitur quaeritur, qua ratione rectissime perveniamus ad enodandas epithetorum significationes, in quibus tantum et delectationis et virium inesse diximus.

Atque primum quidem utendum est scholiis, quae tamen res magnam habet cautionem. Nam quae scholiastae de origine vocabulorum proferunt, ea sunt, ut fere omnes veterum originationes, perversa neque ab ulla parte probanda. Ut *ἀκάκητα*, haud dubie reduplicatione ex *ἀκεῖσθαι* ortum, interpretatur schol. V vel *ἀμέτοχος κακῶν* vel *ἀπὸ Ἀκακησίου ὄρους ἐν Ἀρκαδίᾳ* atque schol. B. de *ἀγανός* et *ἀγαθός* vocabulis haec habet: *ἀγανὸς ἐτυμολογεῖται ἀπὸ τοῦ ἄγαν νέειν εἰς αὐτὸν πάντας, ὡς καὶ ἀγαθὸς ἀπὸ τοῦ ἄγαν θέειν περὶ αὐτόν· τὸν γὰρ ἀγαθὸν πάντες φιλοῦντες εἰς αὐτὸν τρέχομεν· ὁμοίως καὶ εἰς τὸν ἀγανὸν ἤτοι λαμπρὸν καὶ ἐνάρετον πάντες πορευόμεθα;* et schol. V: *ἀγανῇσι, προσαγαγέσθαι καὶ πεῖσαι δυναμέναις.* Similia sunt omnia fere scholiastarum de verborum originibus commenta. Nec tamen contemnendi scholiastae. Licet hariolentur illi in etymologia, vim tamen vocabuli plerumque videntur tenuisse, sed vera vis saepissime obscuratur eo, quo utuntur, genere ducendae originis. In omnibus, quae attulimus, exemplis falsae et perversae sunt etymologiae, verae et rectae explicationes, ut, has intuentes, facile nostris veri inveniendi subsidiis ad veram originem quoque pervenire possimus, quod in nonnullis difficilioris originis vocabulis infra demonstrabitur. Scholia igitur si ita adhibentur, ut neglecta verborum origine explicatione eorum caute utamur in enodanda interpretatione, non desperandum est, vocum non significationem solum, sed etiam veram originem ex iis elici posse.

Multo maioris momenti ad id, quod volumus, est Homericorum vocabulorum inter se comparatio. Et est, quod gaudemus, tanta apud Homerum orationis et vocabulorum ubertas, ut raro eo subsidio destituamur. Quid est enim magis consentaneum, quam, si cuius vocabuli recte inventa est origo, cum in aliud eiusdem formae vocabulum inciderimus, existimare, eandem ei subesse formationis rationem? Quam quaerendi viam qui ingrediuntur, tantam poetae in formandis vocabulis constantiam invenient, ut, si quando exceptionem invenisse sibi videantur, citius statuendum videatur, errorem ibi delitescere quaerentis quam licentiam in formando vocabulo poetae.

Proximus locus est comparativae, quam vocant, linguarum disciplinae. Qua qui recte ad Homerica explicanda vocabula uti volunt, eos non solum maximam cum Homero familiaritatem contraxisse oportet, sed etiam ita in lingua sanscrita esse versatos, ut non solum grammaticas

Digitized by Google

eius leges teneant; sed, nisi eadem facilitate, qua Homerum, libros Indicos quoque legent, itaque interiores quoque verborum notiones penitus perceperint, explicationi Homericorum vocabulorum magis oberunt, quam proderunt. Atque imprimis ne temere leges formandorum vocabulorum ex illa lingua in hanc transferant, monendum videtur. Tam peculiaris enim est cum universae linguae Graecae tum orationis Homericae natura, ut multo magis illa ex se ipsa, quam ex alia explicari debeat. Ad radices vocabulorum enodandas multum saepe conferet cognitio linguae sanscritae ad eamque confugiendum erit, siquando huius cognitio nos deseruerit, formas vocabulorum et significationes melius ex usu cum Homeri tum ceterorum scriptorum Graecorum explicabimus.

Restat, ut ad quartum interpretandorum vocabulorum subsidium veniamus, quo omnino non aut non multum adhuc usos esse video interpretes, cui tamen aliquanto plus tribuendum videtur esse. Quod Schillerus noster tam vere quam pulchre dixit, Homeri solem nobis quoque lucere, id latius patere videtur, quam adhuc existimatum est. Licet interierit Graecorum gens cum eaque elegantissima eorum lingua, licet nulli iam rhapsodi pronuntient diebus festis audienti multitudini Homeri carmina, licet de multis rebus, quas in scriptis carminibus nunc legimus, nihil aut non multum traditum inveniatur, universa tamen natura omnesque res naturae manserunt eaedem eademque lux, quae Homero, nobis quoque oritur et lucet. Quapropter ad ea, quae percensuimus, eruditionis subsidia accedere oportet subtilissimam universae naturae contemplationem et observationem, qua aequare studeamus poetam ipsum. Cuius si oculis et mente res contemplabimur, multa, quae adhuc obscura videntur, nova luce collustrata aperientur pulsaeque tenebrae maximam et verissimam simplicitatem ibi esse demonstrabunt, ubi contortam et falsam poetae extorsit explicationem eruditio. Ad hanc poeticam rerum contemplationem sunt adhibenda et accommodanda ea, quae docent scholiastae et invenerunt etymologi. Sed tamen tantam existimo esse huius quasi naturalis contemplationis rerum vim, ut, cum interpretationem, quam oculis et mente invenimus, scholiastarum consensu confirmari oporteat, idem in etymologia non desiderari dicamus. Quid? quod, si alterutro sit carendum, etymologia potius nos, quam consentiente hominum contemplatione supersedere posse existimo? In dubiis igitur epithetis hanc censeo esse ineundam veri inveniendi rationem, ut primum ex iis, quae scholiastae tradiderunt, inveniatur non tam vocabuli originatio quam id, quod vel diversissimis eorum interpretationibus videtur esse commune. Quo invento ingenue et subtiliter, ut quasi poetae oculis cernere videamur, contemplemur ipsi quoque eam rem naturae, cui incertum aliquod epitheton additum est, et studeamus coniungere cum eo, quod nos videmus, id, quod a scholiastis traditum est. Quae

Digitized by Google

si inter se conveniunt, quamquam satis iam ad intellegendum poetam profectum est, tamen plerumque non difficile erit, ex forma vocabuli ipsa, quam cum aliis vocabulis Homericis comparabimus, vel originem vel compositionem eius invenire. Plerumque, dixi, non semper. Inveniuntur enim apud antiquissimum Graecorum poetam radices, quae ipsae per se interierunt, in uno vel altero verbo composito exstant. In quibus, cum ex Graeca lingua eae explicari non possint, confugiatur ad ceteras eiusdem stirpis linguas, imprimis sanscritam, ea tamen, quam supra diximus, condicione. Sed quae ratione iam exposuimus, ea nunc in exemplis aliquot experiamur.

ἀτρύγετος.

Tribuitur hoc epitheton ab Homero mari (*ἁλί, πόντῳ, θαλάσσῃ*) et aetheri. Atque cum a Goebelio (Ztschr. f. Gymnslw. 9, p. 542 sq.) mota sit dubitatio, num pro ornanti epitheto habendum illud sit, cum adiungitur mari, ac non tristitiam quandam in mari inesse omnibus, ubi invenitur, locis eo significetur, quae tamen earum, quae quoque loco aguntur, rerum naturae debeatur, loci ipsi accuratius videntur considerandi. Sunt autem in Iliade: *A* 316, 327; *Ξ* 204; *O* 27; *P* 425; *Ω* 752; in Odyssea: *α* 72; *β* 370; *ε* 52, 84, 140, 158; *ζ* 226; *η* 79; *θ* 49; *κ* 179; *ν* 419; *ρ* 289; in hymno Cereris 67, 457.

Atque *A* 316 Graeci Apollini sacra faciunt *παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο;* quae quod pestilentiae avertendae causa suscipiuntur, idcirco Goebelius Graecis mare non triste aspectu esse non potuisse censet tristitiaeque significandae, non ornandi causa appositum esse *ἀτρύγετος*. Eandem huius epitheti causam esse *A* 327, ubi Talthybius et Eurybates inviti ad Achillem eunt ad reposcendam Briseidem *παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο*. Nec minus tristem esse Junonis recordationem maris, cum se ad Oceanum et Thethyn ire velle dicit, quae se nutrierit, quo tempore Juppiter Saturnum *γαίης νέρθε καθεῖσε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης*, aut Jovis, cum *O* 27 commemorat, Herculem a Junone cum Borea *ἐπ' ἀτρύγετον πόντον* missum esse, aut Hecubae *Ω* 752, ubi ea queritur, filios suos ab Achille venditos esse *πέρην ἁλὸς ἀτρυγέτοιο*.

Veniamus ad Odysseam. Narrat *α* 72 in concilio deorum Juppiter, Polyphemi cyclopis matrem fuisse Thoosam, filiam Phorcynis, *ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος*. Hoc quoque loco nullum epitheton mari magis convenire, quam quod tristitae aliquid habeat, exclamat Goebelius. Locum autem, qui est *ε* 52, ubi Mercurius super mare festinans comparatur cum laro *κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο* piscante, Goebelius per se ipsum explicari dicit; triste enim esse mare vel ob eam causam, quod nihil aliud ibi sit (nisi pisces?)! Cum vero eiusdem libri v. 140

Digitized by Google

Calypso Jovi neminem refragari nec velle nec posse ait ideoque Ulixem *πόντον ἐπ' ἀτρύγετον* ire iubet, quid laetius Ulixi? Nec aliter de ceteris plerisque iudicandum est locis. Sive enim ζ 226 Ulixes spumam marinam a capite absterget (*ἐκ κεφαλῆς δ' ἔσμηχεν ἁλὸς χνόον ἀτρυγέτοιο*), sive η 79 Minerva, relicta Scheria, amoena Phaeacum terra, *πόντον ἐπ' ἀτρύγετον* domum redit, sive ϑ 49 electi iuvenes Phaeacum iussu regis ad navem in mare trahendam *ἐπὶ ϑῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο* descendunt, sive socii Ulixis κ 179 revelatis capitibus laeti *παρὰ ϑῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο* intuentur cervum, ab Ulixe interfectum: nihil usquam tristitiae aut sentitur a nobis aut intenditur a poeta. Sunt rursus loci, ubi haud dubie de rebus agitur iniucundis, ut ν 419 et ρ 289, et recte tristitiae notio cadit in β 370, ubi Euryclea Telemacho de patre sciscitandi causa profecturo dicit, eum non necesse habere *πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κακὰ πάσχειν οὐδ' ἀλαλῆσϑαι*, aut ε 84 et 158, ubi Ulixes lacrimans *πόντον ἀτρύγετον* intuetur. Sed poetam idcirco mari quoque naturam iniucundam infligere voluisse, in tanta exemplorum conveni-entium paucitate tantaque contrariorum exemplorum copia non est, quod existimemus.

Patet ex omnibus, quos attulimus, locis (sunt autem omnes; nam qui in h. Cer. inveniuntur duo loci, sunt de aethere, non de mari), nihil evinci ad demonstrandum, mare, ubi ei tribuatur *ἀτρύγετος*, speciem prae se ferre tristem aut iniucundam. Hae enim res, de quibus agitur illis locis, si sunt tristes vel iniucundae, nulla fere est condicio humana, quae careat tristitia, et poetam ita explicare, hoc est omnem poetae tollere et simplicitatem et venustatem. Hoc unum poetam his quoque locis ut semper voluisse iudicandum est, ut nobis adiecto *ἀτρύγετος* epitheto imaginem maris veram et expressam uno ictu temporis aperiret. Ea est autem ornantium epithetorum natura. Quam vero ex variis imaginibus, quas mare intuentibus praebet, *ἀτρύγετος* exprimat, hoc nunc videamus.

Atque primi audiendi sunt scholiastae et veterum lexicorum scriptores. A quibus ad varios locos haec fere invenio adnotata. Ad ε 52 B: *ἢ τὴν μὴ τρυγωμένην διὰ τὸ πικρὸν τοῦ ὕδατος ἢ τὴν ἣν οὐ δύναταί τις τρυγῆσαι διὰ τὸ πολὺ τοῦ ὕδατος;* ad β 370 S: *ἐπὶ τὴν ϑάλασσαν τὴν ἄκαρπον, ἀκαταπόνητον ὑπομένειν πλανᾶσϑαι;* ibid. *E*: *ἢ τὸν ἀκαταπόνητον ἢ τὸν ἄκαρπον, τὸν μὴ ἔχοντα τρύγα ἤτοι καρπόν· τὴν πολλὴν τρύγα ἤτοι πολλοὺς καρποὺς ἔχοντα, ἵνα σημαίνῃ τὸ α ἐπίτασιν;* ad O 27: *ἄβυσσον, τρύγα μὴ ἔχοντα, ἢ ἄκαρπον, παρὰ τὴν τρύγην, ὡς Εὐριπίδης* (Phoen. 210); ad *P* 25: *ἀτρύτου ἢ ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῇ ϑαλάσσῃ οὐ τρυγᾶται;* ad *A* 316: *τῆς ἀκαταπονήτου, τῆς πολλῆς, ἢ τῆς ἀκάρπου.* E. M. autem habet 167, 23: *παρὰ τὴν τρύγην* (*καρπόν*) et Herod. apud

Digitized by Google

E. M. 167, 30: *παρὰ τὸ τρύειν, ἄτρυτος, ἀτρύετος καὶ πλεονασμῷ τοῦ ἀτρύγετος· ἀκαταπόνητος, οἱ δὲ μεταφορικῶς, ἐπεὶ δὴ τέλος τοῦ οἴνου τρύξ.*

Ex his fluxerunt ea, quae ad explicandum vocabulum nostri aut lexicorum scriptores aut carminum interpretes exhibent. Interpretantur enim *πόντον ἀτρύγετον*, qui a *τρύγη* vel *τρυγᾶν* originem ducunt, mare sterile, quod fruges non ferat, ut sit ei opposita *γῆ πολύφορβος* (saepissime enim vis ornantium epithetorum posita est in natura eorum, quae iis opposita sunt, et ex contraria eorum natura cognoscuntur ipsa); qui a *τρύειν*, mare indefessum. Atque quod olim vulgatius erat, mare sterile, nunc iam cessit mari indefesso. Vicit enim magna Curtii auctoritas, qui in Gr. Etymoll. p. 598, nisus Herodiani (l. l.) auctoritate, fortasse in *ἀτρύγετος* exemplum nos habere ait, ut ex *υ ϝ* et ex *ϝ γ* media in sede vocabuli factum sit et *ἀτρύγετος* ortum sit ex *ἀτρύϝετος*. Idem non probat Joh. Schmidtii sententiam, *ἀτρύγετος* interpretantis: qui exsiccari nequeat; quod fecit ille nisus glossa Hesychii, qua is *τρυγεῖ* interpretatur *ξηραίνει*. Doederleinus autem (Hom. Gloss. III, p. 306) ab *ἀνατρύζειν* ducit vocabulum, quae quidem interpretatio etiam a veterum quibusdam significata est, ut sit aufgährend, aufbrausend, murrend, et ita eadem, quam alia maris epitheta habent, extorqueatur voci significatio, ut *ἐρευγομένη* vel *ἠχήεσσα ἅλς, πολύφλοισβος θάλασσα, πολύκλυστος, στένων πόντος*. Sed et etymologia parum habet fidei neque conveniens est ea significatio aetheri. Cui ut convenientem eam faceret, tanta est usus interpretandi audacia, ut ea ipsa refellatur eius explicatio. Vult enim h. C. v. 67 proleptice in aethere intelligi *ἀτρύγετος* ita, ut aether fiat sonans lamentatione Cereris. Quod cum per se est parum probabile, tum alienum ab altero loco (h. Cer. v. 458). Benfey contra inventa graeca radice *τρυγ*, quae respondeat latinae turg, interpretatur mare turgidum. A quibus omnibus vehementer discrepat Fr. Schoellius (Acta soc. phil. Lips. IV, 325), qui vocabulum interpretatur finstergeboren, ut compositum sit ex *ἀτρυ* = ater et *γετος* a rad. *γα*. Quam interpretationem quamquam cum Curtio, talem radicem parum evinci dicente, non probamus, hoc tamen eum recte vidisse iudicamus, deserendam esse eam, quam scholiastae monstrant, viam et novam enodandi vocabuli ineundam rationem. Et recte nostra sententia ex *ἀτρυ* et *γετος* vocabulum compositum esse vidit, licet de significatione dissentiamus. Nam si reliquam Homericarum vocum copiam circumspicimus, cum tria eiusdem formae vel compositionis vocabula inveniantur, *Τηΰγετον, τηλύγετος, ἀτρύγετος*, si quid aequalitati dandum est in invenienda origine, quod certe est, recte facere videmur, si, quod in duobus ex iis statuendum videtur, in tertio quoque statuimus. Ducitur autem *Ταΰγετον* (*Τηΰγετον* Hom.) a *ταΰς*, quod He-

Digitized by Google

sychius tradit esse μέγας, πολύς, et a radice γα, ut sit „magnus factus" (grofsgeartet, grofsartig, grofs; Τηΰγετον Riesengebirge). Abiit enim γετος in suffixi vicem ut nostrum lich, haft, ig, alia. Τηλύγετος autem, de quo infra plura dicentur, eodem modo formatum est ex τηλυς et γετος. Jure igitur in ἀτρύγετος quoque eandem, si fieri potest, statuemus compositionem, et ex ἀτρύς et γετος id ortum esse dicemus, dummodo evinci possit, fuisse tale vocabulum in lingua Graecorum. Et potest evinci. Idem enim Hesychius, cui ταῦς servatum debetur, affert ex scriptore aliquo vocabulum ἀτρύπονος, quod explicat πολύπονος. Sequitur, ut ἀτρύς antiquis temporibus fuerit idem quod πολύς. Quod eo certius affirmare nobis videmur posse, quod hanc vocabuli vim fulcire possumus et scholiis et convenientia naturae. Mirum fortasse videbitur, si convenire dicimus nostram verbi explicationem cum scholiis, quae aliam non solum originem, sed etiam significationem praebere modo docuimus. Sed hoc est illud, quod supra significavimus. In ipso scholiastarum errore saepissime cerni potest veritas. Accuratius enim si legimus, quae habent scholiastae, nostram vocabuli explicationem ab iis non abhorrere inveniemus. Quis enim non videt, in plerisque scholiorum significari quandam maris granditatem? Quae vera explicatio ubique, fateor, obscurata est falsa, qua se liberare nequeunt, etymologia, sed vestigia certe veri manserunt. Vidit schol. ad ε 52, mare dici immensum; sed quoniam ei, ut ceteris, persuasum est, a τρυγᾶν duci vocabulum, utrumque mirum in modum confudit. Hinc explicat: ἤν οὐ δύναταί τις τρυγῆσαι διὰ τὸ πολὺ τοῦ ὕδατος. At ne ii quidem, qui ἀκαταπόνητον interpretantur ἀτρύγετον, refragari videntur verae significationi. Nam eos quoque scholiastas statuendum est veram significationem ingentis vel immensi coniungere voluisse cum falsa, quam probabant, origine, quod apparet ex scholio ad Α 316: τῆς ἀκαταπονήτου, τῆς πολλῆς. Atque etiam qui ἄβυσσον interpretatus est ἀτρύγετον, ei quoque immensi vera significatio ante oculos versata videtur esse. Et naturae quoque maris multo magis convenit haec, quae nobis placet, explicatio, quam quae vulgo commendatur. Sumit enim poeta ea rerum epitheta, quae primo quoque obtutu oculis subiciuntur ideoque, cum semel aspecta sunt, haerent in mente, non quae acute et subtiliter sunt indaganda et aegre aut inveniuntur aut tenentur. Marc autem qui semel aspexerit, in eius memoria nunquam exstinguetur illius infinita vel immensa vel ingens granditas, quae quin aetheri quoque tribui possit, nemo dubitabit, qui in pleno campo oculos ad caelum contemplandum vel die vel nocte sustulerit. Quid? quod ea sola explicatio adaptari potest iis quoque locis, ubi apud alios scriptores ea vox invenitur? Convenit νυκτὶ Damageti (Anth. Pal. 7, 735, 2) et γαίῃ apud Nonnum et αἰγιαλοῖσιν apud Qu. Smyrnaeum (VI 334), idque

Digitized by Google

eo magis, quod alias ab eo tribuitur orae epitheton *ἐρημαῖος* (*Θ* 402) et *εὐρύς* (*A* 312). Ex quibus omnibus persuasum mihi est, *ἀτρύς* esse magnum et *ἀτρύγετον πόντον* infinitum, ingens, immensum, vastum mare; nec multum interesse puto, eandem radicem in nulla alia Ariacarum linguarum evinci posse, nisi forte *ἀτρύς* ab *α* intensivo et *τρέω* ducimus, ut terribilis notionem in ingentis abisse putemus, aut atrium Romanorum, quod mihi valde placet, non iam atrum spatium, sed potius magnum in domo conclave esse credimus.

τηλύγετος.

Tribuitur liberis hoc epitheton et quidem in Iliade *Γ*, 175; *E*, 153; *I*, 143, 285, 482; *N*, 470; in Odyssea *δ*, 11; *π*, 19; in h. Cer. 164, (283). Dicit Helena *Γ* 175 filiam Hermionen *παῖδα τηλυγέτην*, et *E* 153 Phaenopis duo filii, quos insectatur Diomedes, Xanthus et Thoon a poeta appellantur *ἄμφω τηλυγέτω*. *I*, 143 Agamemno eo epitheto utitur de Oreste, dicens: *ὅς μοι τηλύγετος τρέφεται θαλίῃ ἔνι πολλῇ*, quem versum *I*, 285 Ulixes, legatus ad Achillem missus, in enarrandis condicionibus Agamemnonis repetit. Atque eiusdem libri v. 482 Phoenix se ait a Peleo dilectum esse *ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν*. A quibus locis aliquantum discrepat usus, quo positum est *N* 470: *ἀλλ' οὐκ Ἰδομενῆα φόβος λάβε τηλύγετον ὥς*. Idem contra est vocis usus Odyss. *δ* 11, ubi de Menelai filio Megapenthe legimus: *ὅς οἱ τηλύγετος γένετο κρατερὸς Μενελάου ἐκ δούλης*, et *π* 19, ubi Eumaeus Telemachum amplectitur *ὡς πατὴρ ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἀγαπάζει, ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ, μοῦνον τηλύγετον*. Accedit locus in h. Cer., qui est v. 164, ubi Callidice, Celei filia, Cererem iubet se ad matrem sequi, si forte ea illam tecto recipiat, pergitque: *τηλύγετος δέ οἱ υἱὸς ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ ὀψίγονος τρέφεται, πολυεύχετος ἀσπάσιός τε*.

Priusquam ad ea veniamus, quae scholiastae habent, id lubet monere, etsi bis tantum vocabulo adiunctum sit *μοῦνος*, omnibus tamen, quorum nomina afferuntur, vel viris vel feminis, unicum eum, cui tribuitur epitheton, vel filium vel filiam fuisse. Solus obstare videtur locus *E* 153, quo duo Phaenopis filii dicuntur *ἄμφω τηλυγέτω*, de quo infra dicetur. His praemissis iam videamus, quae adnotent scholiastae. Sunt autem fere haec: ad *Γ* 175: *καταχρηστικῶς εἶπε· κυρίως δὲ τηλύγετοι καλοῦνται οἱ τηλοῦ τῆς γονῆς ὄντες παῖδες, ὅ ἐστιν ἐκ γεροντικῆς ἡλικίας σπαρέντες· δοκεῖ γὰρ τὰ μετὰ ἀπόγνωσιν τῆς παιδοποιίας γεννώμενα μᾶλλον ἀγαπᾶσθαι*; et ad *E* 153: *ὅτι μὲν ὁ τηλύγετος δηλοῖ παρ' αὐτῷ καὶ τὸν μόνον γενόμενον, παρίστησι τὰ ὑφ' Ἑλένης περὶ Ἑρμιόνης λεγόμενα* (sequ. v. *Γ* 175). *σημαίνει δὲ*

Digitized by Google

τὸν τηλοῦ τῆς ἡλικίας τῷ πατρὶ γεγονότα, ὡς ἐνταῦθα· ὡς ἐπὶ δυοῖν γὰρ γηράσκοντι τῷ πατρὶ γενομένων ἔφη ἄμφω τηλυγέτω· ὁ δ' ἐτείρετο γήραϊ λυγρῷ, υἱὸν δ' οὐκ ἔτεκ' ἄλλον. Idem *N* 470 duplicem habet interpretationem: ἐνδέχεται μὲν ἀκοῦσαι ἀπὸ τῶν μονογενῶν παίδων κατὰ μεταφορὰν τὸν μεμονωμένον (Ἰδομενῆα), ἐνδέχεται δὲ καὶ ὡς τηλοῦ γενεᾶς ὄντα, τουτέστι πρεσβύτην. Fuisse autem Idomeneum grandaevum, Homerum ipsum testem esse, dicentem ib. 361 ἔνθα, μεσαιπόλιός περ ἐών, Δαναοῖσι κελεύσας, Ἰδομενεὺς Τρώεσσι μετάλμενος ἐν φόβον ὦρσεν. Longum est, reliqua quoque, quae sequuntur, afferre. Satis videtur esse declarare huic scholiastae τηλύγετον esse aut eum, qui a ceteris destitutus est, (μεμονωμένος) aut grandaevum. Alterum ad eundem locum scholium haec habet: μεθ' οὓς οὐκ ἐπαιδοποίησεν ὁ πατήρ, οἱ τῆλε τῆς ἡλικίας γενομένῳ τῷ πατρὶ τεχθέντες. ἐλέγχει δὲ τοὺς ἐπὶ γέρᾳ οἰομένους δεῖν παιδοποιεῖν, ὅπως διαδόχοις χρήσαιντο ὡς κακῶς οἰομένους· νικᾷ γὰρ ἡ πήρωσις. Ad *I* 143 haec leguntur: τηλύγετος, μονογενής, ἢ μεθ' ὃν οὐ παιδοποιεῖ τις, et: ἀγαπητός, μονογενής· μόνος γὰρ Ὀρέστης ἄρσην ἐγένετο τῷ Ἀγαμέμνονι ἐκ Κλυταιμνήστρας; ad *I* 482: μοῦνον, τηλύγετον] εὖ τὸ μὴ ἀρκεσθῆναι τῇ πρὸς τοὺς υἱοὺς τῶν πατέρων φιλοστοργίᾳ, καίτοι ὑπερβολὴν μὴ δεχομένῃ, ἀλλ' ἐπενέγκαι τὸ μοῦνον· μᾶλλον γὰρ οἱ μονογενεῖς φιλοῦνται, μὴ μεριζομένης εἰς πολλοὺς τῆς φιλοστοργίας· καὶ οὐδὲ τούτῳ ἀρκεσθεὶς προσέθηκε τὸ τηλύγετον· οὗτος δέ ἐστιν ὁ τῆς γονῆς τέλος ἔχων, μεθ' ὃν ἕτερος οὐ γίνεται κτλ.; ad *N* 470 τηλύγετον] ὁ τέλος τῆς γεννήσεως ἔχων, μεθ' ὃν ἄλλος οὐκ ἐτέχθη τῷ πατρί, et ab altero: τηλύγετος ἡ τηλοῦ τῆς ἡλικίας γεγονὼς τοῖς γονεῦσι, μεθ' ὃν οὐκ ἄν τις γένοιτο. οἱ τοιοῦτοι δὲ ἄνανδροι ὡς ἐπίπαν γίνονται διὰ τὸ πλείονος τρυφῆς ἀξιοῦσθαι ὑπὸ τῶν γονέων; ad δ 11: τηλύγετος Μεγαπένθης] ὁ τῆλε τῆς ἡλικίας, τουτέστι προβεβηκόσι τοῖς γονεῦσι γενόμενος, μεθ' ὃν οὐκέτι ἐλπίζουσι τεκνῶσαι διὰ τὸ γῆρας· ἢ ὁ τηλοῦ ἀποδημήσαντι τῷ πατρὶ γεννηθεὶς παῖς· ἢ μονογενὴς καθάπερ Τηλέμαχος Ὀδυσσεῖ καὶ Ὀρέστης Ἀγαμέμνονι (vide, quam non ex tribus originationibus unam ille eligere audeat); ad π 19: Ἀριστοφάνης φησὶν ἐφ' ᾧ κατανίσθη (recte Nauck: κατανιαθῇ) ὑπὲρ τῆς ἐκδημίας. Reliqua quoque scholia, quae, ne longiores simus in iis enarrandis, omittimus, ad unam aliquam ex iis, quas protulimus, redeunt interpretationem.

Ex his tot scholiis, etiamsi non ita multum inter se differre videantur, octo tamen vocabuli notiones distingui possunt. Est enim ἀτρύγετος aut filius, qui patri vel parentibus iam senescentibus natus est, aut qui solus iis, aut qui iis ultimus natus est, aut qui peregrinante vel absente patre natus est, aut qui, quod senescenti patri natus est, idcirco tenere ab eo amatur ob eamque causam mollis et effeminatus

Digitized by Google

factus est, aut qui a ceteris destitus est (*μεμονωμένος*), aut qui est grandaevus (*πρεσβύτης*) aut ipse peregrinans vel absens. Quarum interpretationum eae, quas tribus ultimis locis protulimus, non solum a ceteris, sed etiam a veritate vehementer videntur abhorrere. Tres autem principatum quendam obtinent, quae *ἀτρύγετον* esse volunt unigenitum (*μονογενῆ*) aut patri senescenti natum (*τὸν τηλοῦ τῆς ἡλικίας γεγονότα*) aut a parentibus tenere amatum (*ἀγαπητόν*). Accedunt novae recentiorum et originationes et interpretationes. Atque Buttmannus quidem (Lexil. II, 198, sqq.) neglecta origine, quamquam tenere amati notionem praefert, tamen accessisse putat notionem unigeniti vel postremo nati, ut post eum partus iam non sperari possit, valdeque sibi arridere ait Orionis, quae in E. Gud. p. 616 profertur, originationem: *ὁ τελευταῖος τῷ πατρὶ γενόμενος*. Doederlein (Gl. 351) accipit vocabulum pro *ἀταλόγετος* (zart und jugendlich); Savelsberg, *τηλύς* = *τηύς* esse dicens, vertit grofs geworden; Düntzer, a *θάλλειν* ducens originem, ad eandem fere pervenit interpretationem: blühend vel heranwachsend, jugendlich; Leo Meyer in radice sanscrit. tânva originem vocabuli se invenisse ratus vim vocis vult esse leiblich, selbsterzeugt: Sonne a kârus ducens vocem vult esse *τηλύγετος* teuer, willkommen, alii alia in medium proposuerunt. Proxime ad veritatem accessisse videtur Schenkl, qui substantivum aliquod *τῆλος* suspicatur fuisse, quod eadem, qua *τέλος*, fuerit vi, ab eoque et a radice *γα* vocabulum ducit. Sed nos non tam substantivum quam adiectivum priori vocabuli parti subesse existimamus et quidem *τηλύς*, quod eodem modo a *τέλος* ortum videtur, quo *εὐρύς* ab *εὖρος* et *βαρύς* a *βάρος* et *αἰπύς* ab *αἶπος*. In quo mirum videri non debet, *ε* transisse in *η*, quod idem factum esse videmus in *ἠΰς* ex *ἐΰς* et in *ἠπύω* ab *ἔπος* et in *ἐπίηρα* (*φέρειν*) ab *ἔρως* vel *ἔρος*. Hac autem recte constituta vocabuli origine difficile non est eam invenire significationem, quae omnibus apud Homerum eiusque imitatorem Apoll. Rhod. conveniat locis. *Τέλος* est enim nostrum Ziel, in quo duplex latet notio, et ea, ut tandem consecuti simus, quod diu petivimus, et ea, ut ultra nihil sit, quod consequi possimus. *Ἀτρύγετος* est igitur zielgeboren, i. e. non solum is, qui tandem est natus, postquam diu optatus et exspectatus est, sed etiam, post quem ob quas voles causas nullus iam partus parentibus sperandus sit, quod et scholiastarum multi significant et maxime confirmat Plutarchus dicens (Amic. multid. 2, p. 93 sq.): *Ὅμηρος ἀγαπητὸν υἱὸν ὀνομάζει „Μοῦνον τηλύγετον“ τουτέστι μὴ ἔχουσιν ἕτερον γονεῦσι μήτε ἕξουσι γεγεννημένον*. Atque primo quidem et unus et ultimus intellegebatur *τηλύγετος;* cum autem paullatim in mentibus hominum, ut fieri solet, evanesceret notio unius, ultimi premeretur, *μοῦνος*, quod ipsum quoque iam inesse in vocabulo diximus,

Digitized by Google

necesse visum est addi, ut nos *μοῦνος τηλύγετος* pro pleonasmo habendum esse censeamus. Talem autem prolem a parentibus mollius et indulgentius educari, ut mollities eius etiam in proverbii consuetudinem abire possit, et cotidiana docet experientia et vernacula vocabula Nesthäkchen, Schofskind, quo sensu *N* 470 accipiendum est vocabulum. Et ne is quidem locus, qui est *E* 153 huic nostrae explicationi contrarius videtur esse: *ἄμφω τηλυγέτω*. Nam si tenemus, vim vocabuli esse eam, ut mater semel partum enixa sit, isque partus simul ultimus sit, nihil refert, utrum eo partu unus vel duo filii editi sint. Patet igitur, ad geminos quoque referri posse *τηλύγετος* et Phaenopis filios Xanthum et Thoum, quoniam *τηλυγέτω* vocantur, fuisse geminos.

ἀδινός.

In hoc vocabulo cum de ipso genere scribendi cum veteres tum recentiores interpretes, prout originem eius invenisse sibi videntur, inter se dissentiant, ab originatione videtur initium disputationis capiendum esse. Atque Aristarchus quidem eumque secuti plerique recentiorum si *ἀδινὸς* scribendum esse censent, ab *ἄδην* vel *ἄδος* vel *ἀδεῖν* ducunt vocabulum. Quae originatio si probabilis non esse inveniatur, patet, ne scriptionem quidem, quoniam haud dubie origini debeatur, probari posse. Et recte a Goebelio (Ztschr. f. Gymn. 12, p. 802 sq.) est demonstratum, neque iustam derivationem, quae probatis eius artis respondeat legibus, ab ullo trium illorum vocabulorum fieri posse, neque vim huius vocabuli, si recte ab illis duceretur, quam esse oporteret satietatem vel densitatem, ullo modo cum substantivis, quibus illud tribuitur, consociari posse. Neque minus assentiendum est Goebelio, si a *δι* (scheuchen, verfolgen) et ab *α* intensivo vocabulum ortum esse dicit; essetque acquiescendum in iis, quae de vocabulo vir doctissimus l. l. disseruit, nisi de significatione haberemus, quae iis vel addenda vel in iis mutanda esse censeremus.

Additur *ἀδινός* pro epitheto ornanti apibus (*B* 87), muscis (*B* 469), ovibus (*α* 92, *δ* 320), cordi (*Π* 481, *τ* 516), lamentationi (*Σ* 316, *X* 430, *Ψ* 17, *Ω* 747), Sirenibus (*ψ* 326), voci (h. Cer. 67) et *ἀδινῶς* (*ἀδινά, ἀδινόν*) verbis gemendi, lacrimandi, singultandi (*στενάχειν, στεναχίζειν, κλαίειν, στοναχεῖν, γοᾶν, ἀναφέρεσθαι*) *Σ* 124, *T* 314, *Ψ* 225, *Ω* 123, 510, *δ* 721, *η* 274, *π* 216, *ω* 317 et verbo mugiendi *κ* 413. Praeterea a Sophocle dicuntur *δάκρυα ἀδινά* (Trach. 847) et a Pindaro *ἀδινὸν δάκος κακαγοριᾶν* (Pyth. II, 53). Apollon. Rhodius et in iisdem verbis eo utitur (I, 269 *κλαίειν ἀδινώτερον*, IV, 1422 *ἀδινὴ ὄψ*) et in tribus aliis, in oratione et lecto et somno (III, 1205 *φᾶρος, ἀδινῆς μεμνῆϊον εὐνῆς;* III, 1103 *καί μιν ἀκηχεμένη ἀδινῷ προσ-*

Digitized by Google

πτύξατο μύθῳ. I, 1083 Αὐτὰρ Ἄκαστος Μόψος τ' Ἀμπυκίδης ἀδινὰ κνώσσοντας ἔρυντο.

Consentaneum est, eam esse nullius omnium, quae aut sunt aut fuerunt, linguarum naturam, ut idem vocabulum, etiamsi in diversissimis adhibeatur rebus, diversissimas etiam habeat notiones, sed quantumvis multiplici vocabuli alicuius usui unam necesse est subesse communem eiusmodi significationem, ut ea vel proprie vel metaphorice in diversissimis rebus usurpari queat. Veram igitur multifarii vocabuli naturam si cognoscere volumus, quaerendum est id, quod omnibus locis, ubi invenitur, commune est, non nova quoque loco statuenda vocis vis. Quare fieri non potest, quod scholiastae volunt, ut ἀδινός modo sit densus, ut ἀδινὸν κῆρ (cor densum), ἀδιναὶ μυῖαι, μέλισσαι (densa muscarum vel apum agmina), modo tenuis, ut μῆλ' ἀδινά (schol.: λεπτά, scilicet si oves comparaveris cum bubus), modo lamentabilis, ut in γόος ἀδινός, ἀδιναὶ Σειρῆνες, aliis, sed sit aliquid necesse est, quod pertineat ad omnia, quibus tribuitur, vocabula. Neque difficile id est inventu. Nam vel obiter consideranti res et verba, quibus tribuitur ἀδινός vel ἀδινῶς, apparebit, commune illud, quod quaerimus, esse quandam lenis soni vel strepitus perpetuitatem. Atque hanc vocis vim ne scholiastae quidem ignorant. Omitto omnes eas scholiastarum explicationes vocabuli, quae, quod ex falsa originatione (ἄδην, ἄδος, ἀδέω) profectae vel potius fictae originis causa ipsae quoque fictae sunt, nihil habent ponderis ad enodandam veram notionem, neque magis sunt respiciendae, quam pleraeque eorum etymologiae: eas tantum affero, quae et verae, quam Goebelius proposuit, originationi et uniuscuiusque rei, de qua adhibetur vocabulum, naturae sunt congruentes, ut appareat, ne ab antiquorum quidem intellectu nostram explicationem plane abhorrere.

Nos igitur diximus, ἀδινός significare quandam lenis soni vel strepitus perpetuitatem, in quo dissentimus aliquantum a Goebelio, solam mobilitatem in verbo inesse dicente, quamvis de originatione cum eo consentiamus. Ducimus enim vocabulum a radice δι, cuius vim et in lingua sanscrita et apud Graecos constat fuisse festinandi et fugandi. Sed ut nulla omnino mobilitas cogitari potest sine sono aliquo, ita ne festinandi quidem aut fugandi, sive pedum strepitum, sive, quod malim, anhelitum currentis respexeris. Saepissime enim in linguis verba sonandi abeunt in ea, in quibus sonum vix animadvertas, ut nostrum wecken ex vakjan, i. e. vocare. Sed levis est utriusque soni natura, ut in ἀδινὸς coniunctum esse dicamus soni alicuius levitatem cum motionis alicuius perpetuitate, quod etiam scholiastas vidisse ex multis eorum significatur explicationibus, etiamsi, falsam semper intuentes originem, parum dilucide, quod recte videbant, dixerunt. Cum enim Eustath. 178, 27 praeter alia τὸ ἀδινόν explicat ἤγουν τὸ ἀθρόον,

Digitized by Google

inest in ea explicatione levis aliqua veritatis significatio. Licet nusquam plane ea, quam volumus, exhibeatur significatio, vestigia tamen eius tam sunt multa, ut dubitari de ea iam non posse sperem. Ut sch. EQV adnotant ad *μῆλ' ἀδινά*: *ἤτοι λεπτὰ πρὸς σύγκρισιν τῶν βοῶν ἢ ἀντὶ τοῦ ἀδινῶς ἵνα ᾖ πυκνῶς καὶ συνεχῶς; BM*: *ἀθρόως καὶ ὡς ἐξ ἀνακλίσεως ἢ ἀδιαλείπτως;* alius ad *Σ* 316 [*γόοιο*] — *οἱ δὲ δαψιλοῦς;* alius ad *X* 430 [*γόοιο*] *πυκνοῦ καὶ συνεχοῦς ἢ οἰκτροῦ.* Apoll. Lex. Hom. *Σειρήνων ἀδινάων* explicat *συνεχῶς ἀειδουσῶν.* Ad *T* 314 adnotatum invenimus: *ἀδινῶς ἀνενείκατο*] *κάτωθεν τὴν φωνὴν ἀθρόαν ἐκ βάθους ἀνήνεγκεν;* et *B* 469, etsi ibi quoque ab *ἄδην* ducitur vocabulum, tamen explicatur *τὸ ἀδιαλείπτως.* Atque Hesych. *ἀδινὸς γόος* vult esse *ἀθρόως ἐρχόμενος* et *ἀδινὸν κῆρ* = *ἢ τὴν συνεχῶς λυπουμένην ἢ τὴν πυκνήν.* Ac ne levitatis quidem soni desunt testes. Apoll. Rh. enim l. IV, v. 1422 scholiasta *ἀδινὴν ὄπα* explicat *τὴν ἀσθενῆ διὰ τὴν δίψαν* et eiusdem l. I, v. 1083 *ἀδινὰ κνώσσοντας* = *ἢ ἀντὶ τοῦ μεγάλως καὶ βαθέως ὑπνώσσοντας ἢ κατὰ Ταῤῥαῖον ἀντὶ τοῦ λεπτὰ καὶ οὐ κατὰ βάθος.* Patet autem *κνώσσειν* hic esse constantem dormientis cum sono sursum deorsum pectoris palpitationem). Atque etiam si Hesychius *μελισσάων ἀδινάων* explicat *ἀθρόων, ἀπαλῶν* aut Eustath. *ἀδινῶς* = *ἠρέμα* perspicuum est, strepitus exiguitatem iis ante oculos versatam esse.

Naturam ipsam autem earum rerum, quibus *ἀδινός* tribuitur, cum contemplamur, quam veram et congruentem esse videmus ei hanc, quam non tam invenimus quam restituimus, vocis explicationem, dummodo hoc teneamus, ab eo, quod maxime proprium est rei quodque, cum semel rem aspeximus, iam non ab ea in mente nostra seiungi potest, poetam sumere solere epitheta! Nam, ut iam singulas, quas vocabulum iniit, perlustremus coniunctiones, quis, cui ovium grex vel semel obviam factus sit, non memoria tenet tenuem illum, quo illae migrant, trepidationis strepitum? Sunt igitur *μῆλ' ἀδινά* oves trepidantes (die trippelnden Schafe). Muscas autem aut apes, praesertim si tota agmina earum volitant (vide, quam inutile et inane esset, cum agmina [*ἔθνεα*] commemorentur, etiam numeri vel densitatis aliquod addere vocabulum), multo prius audimus quam videmus, rectiusque igitur ad lenem earum strepitum quam ad multitudinem refertur *ἀδινός;* sunt enim et vocantur die summenden, nisi forte quis mavult die schwärmenden, in quo ipso inesse soni aliquam significationem nemo erit, qui neget. Nec minus in cor cadit soni perpetuitas; nihil enim est, quod magis proprium sit cordis aut quod a quoquam magis sentiatur quam perpetua et lenis eius palpitatio; vertimus igitur *ἀδινὸν κῆρ* das pochende vel klopfende Herz. De lamentatione autem vix est, quod moneamus, nihil dici posse verius quam *ἀδινός;* est enim *γόος ἀδινός* die schluchzende, wimmernde

Digitized by Google

Klage. Ad vocem autem si additur, ut h. Cer. 67 et Apoll. Rhod. III, 1103, vox dicitur trepida (bebend) estque talis dolore illo loco, hoc amore facta. Jam vero Sirenes vocari *ἀδινάς*, nemo mirabitur, qui canoram earum apud Homerum naturam meminerit; vertendum igitur die tönenden aut, si volucrem eorum naturam respicimus, quae a posteris iis tribuitur, die zwitschernden aut die lockenden, idque eo sensu, quo nos hoc vocabulo utimur in lusciniis. Adverbia autem *ἀδινῶς* vel *ἀδινά*, si posita sunt ad verba lamentandi, gemendi, singultandi, vertenda sunt ut adiectivum ipsum, si tribuitur eiusdem notionis substantivis, i. e. schluchzend, wimmernd. Semel additum est *ἀδινά* ad verbum mugiendi *κ* 413; *ἀδινὸν μυκώμεναι* autem ibi sunt iuvencae, mugitu laetitiam significantes reditus matrum, quo loco dubium videri potest, utrum vocem magis de perpetuitate mugitus an de tenuitate accipias (cf. Bürger: Vor Magdalis Thüre blieb keine mehr stehn und rief ihr mit sanftem Gebrülle) an, quod malo, de utroque.

Restat, ut doceamus, ne ab iis quidem locis, qui apud ceteros scriptores inveniuntur, ubi *ἀδινός* de aliis rebus atque apud Homerum dicitur, hanc nostram vocis explicationem alienam esse. Nam quod Sophocl. (Trach. 847) habet *δάκρυα ἀδινά*, fatendum quidem est, lacrimas sine sono cadere solere, sed ut ne in nostris quidem verbis, quae de lacrimis cadentibus adhibentur (perlen, tropfen, der Thränen stürzender Quell), omnis abest soni significatio, quem tamen audire magis videmur nobis, quam re vera audimus, ita Graecos quoque quasi sonum quendam sensisse cadentium lacrimarum patet etiam ex Homerico illo *ἀναπρήθειν δάκρυ*. Sunt igitur *δάκρυα ἀδινά* die perlenden, die stürzenden Thränen.

Jam vero apud Pindarum (Pyth. II, 53) scriptum legimus:

ἐμὲ δὲ χρεὼν
φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν.

Est autem *δάκος* et bellua et morsus. Atque de bellua haud dubie accipiendum sit Aeschyl. Prom. 583, ubi Io exclamat: *πυρί με φλέξον ἢ χθονὶ κάλυψον ἢ ποντίοις δάκεσι δὸς βοράν.*

Sed apud Pindarum quoque quin eodem sensu *δάκος* positum putemus, nihil impedit, nosque ita id accipimus, quamquam ne in altera quidem laboraremus significatione. Marinae autem belluae antiquis hominibus imprimis sunt dracones et hic locus nostra sententia non interpretandus est, ut Dissenius aliique volunt: „ego vero abstinere debeo vehementi morsu calumniarum," quod parum apte etiam de *φεύγειν* diceretur, sed: ego vero fugere debeo sibilantem colubrum calumniarum (die zischelnde Schlange oder das zischelnde Ungeheuer der Verleumdung).

Supersunt duo apud Apoll. Rhodium loci, quorum alter est I, 1083:

Digitized by Google

αὐτὰρ Ἄκαστος
Μόψος τ' Ἀμπυκίδης ἀδινὰ κνώσσοντας ἔρυντο,

alter III, 1205:

ἀμφὶ δὲ φᾶρος
ἔσσατο (Jason) κυάνεον, τὸ μέν οἱ πάρος ἐγγυάλιξεν
Λημνιὰς Ὑψιπύλη, ἀδινῆς μεμνήϊον εὐνῆς.

Atque, si ullus locus, aptus est horum prior ad confirmandam nostram sententiam. Nam qui usquam dormientes observaverit, qui post multos magnosque labores, quales hic dormientium Argonautarum fuerunt, obdormierint, in eius mente haerebit lenis ille sonus, quo certis intervallis pectus dormientis sursum deorsum movetur. Dicitur igitur ἀδινὰ κνώσσειν de gravi illo somno, qui magnos consequi solet labores. Quod vidit scholiastes, cum scripsit ἀντὶ τοῦ μεγάλως et βαθέως ὑπνώσσειν; sed hoc non vidit, a leni graviter dormientium strepitu hanc duci profunde dormiendi significationem. Quare Tarrhaei, quem citat, explicationem contrariam esse putat suae, neque videt in unum utramque sententiam congruere, Tarrhaeum autem rectius in sua conservasse etiam propriam vocis vim, cum dixit ἀντὶ τοῦ λεπτὰ καὶ οὐ κατὰ βάθος. Est enim ἀδινὰ κνώσσειν mit leisen, regelmäfsigen Atemzügen schlafen vel leise schnarchen.

At minime convenienter de lecto usurpari videtur ἀδινός III, 1205. Sed ne de eo quidem loco desperandum est. Facile apparet ne earum quidem, quae vulgo feruntur, explicationum ullam satis apte coniungi posse cum lecto. Vehementer igitur luctantur hic scholiastae et interpretes, ut probabilem aliquam extorqueant loco interpretationem, et acquieverunt nunc iam omnes fere in scholiastae explicatione: ἀδινὴ δὲ εὐνή, ἡ οἰκτρὰ καὶ λυπηρὰ διὰ τὴν ἀπόλειψιν. Nihil tamen perversius. Induit vestem Jason, inquit poeta, quam Hypsipyle Lemnias ei olim porrexerat, ut esset εὐνῆς ἀδινῆς monumentum (cf. locum simillimum apud Vergil. Aen. III, 486). Patet, quae recordationis causa dantur dona, ea ideo dari, ut sint pro monumento temporis praeteriti, non futuri. Itaque Hypsipyle, cum Jasoni daret illam vestem, voluit eam esse monumentum lecti, qualis fuisset usque ad eum diem, quo data est, non qualis postea futurus esset. Minime autem miserabilis aut lamentabilis, sed pro geniali iis fuerat lectus. Melius igitur de concubitus crebritate cogitavit Brunckius, quamquam ea est magis divinatio, quam explicatio loci. Potest autem hoc quoque loco nostra explicatio recto stare talo, si accipias ἀδινός de lenibus amantium susurris, qui ab ipsis ad lectum, in quo sunt, transferuntur, ut ἀδινὴ εὐνή sit das (liebe)stammelnde, (liebe)flüsternde Bett.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google